Calbiae mss. prof. reg.

STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LVSITANI,

Doct. Medici, necnon apud Pisanos Profeſſ. publ. primarij,

QVÆ EX QVIBVS.

Opuſculum verè aureum, ac præcipua Prognoſeôs myſteria reſerans.

LVGDVNI,
Apud IOAN. CAFFIN, viâ Mercatoria, ſub ſigno Nominis IESV.

M. DC. XLV.

Cum Priuilegio Regis.

Celeberrimo, Clarissimóque viro,
Domino

DE LA CHAMBRE:

Consiliario, ac Medico Regio, necnon Illustriss. Galliarum Cancellarij Medico ordinario.

QVOD nostram huiusce libelli editionem, inclyto tuo nomine (VIR CELEBERRIME, FAVTOR PLVRIMVM HONORANDE) præmuniendam statuerim, non leui de caussa vt facerem; inductus fui. Etenim cùm à

multo tempore auidiſſimè ſategerim, aliquam ſingularis meæ erga Te obſeruantiæ teſſeram in publicum expromere, tam bonam opportunitatem inſuper habere, grãde mihi fuiſſet piaculum. Et ſanè mortalium nulli (ſi rectè iudico) deſtinari aptiùs potuiſſent, à Coo tripode olim decantata οἷα ἐξ οἵων, tam pulchrè à perilluſtri iſto Scriptore Luſitano per quandam velut anatomen explicata, atque ob Philiatrôn oculos conſtituta, quàm Tibi, quem omnia illa, perinde ac digitos, in numerato habere conſtat, quémque

adeò

adeò confido, huic Opuſculo χρυσοῦ χρυσοτέρῳ, non illibenter commodaturum eſſe, quod potes, quódque meretur præſidium, vt hoc ipſo fretum, omnia ſciolorum cauilla, non aliter ac noctiluca ſiderum regina moloſſorum latratûs, aſpernetur, ínque eruditorum hominum manûs gratius perueniat. Miræ ſiquidem venerationi tuum eſt nomen (VIR EXIMIE) non ſolùm apud χαριεστάτους quoſque Æſculapij diſcipulos, ſed etiam apud omnes qui mitioribus cunque ſtudiis operati, lupinos & æra probè à ſe inuicem di-

ſtinguere nôrunt. Neque id profectò iniuriâ, cùm tot lucubrationes cedro digniſſimas, & hactenus euulgâris, & inpoſterum euulgare mediteris, cúmque tanto virtutum, tanto optimarum animi dotum choragio pectus inſtructum geras, vt iis enarrandis non meum modò ſtilum balbutientem longè imparem eſſe ſentiam, ſed & felicium quoque omnium panegyriſtarum, quibus ſuas amœnitates Diua Suadela capacioribus, ac coronatis (quod dixerit aliquis) crateribus propinare non dubitat. Ebur atramento candefacere

defacere tentarem, ſi meis αὐϑοβολίαις, tuorum meritorum magnitudinem æquare, nedum auguſtiorem reddere ſuſciperem: Quin generoſiores, quàm vt huiuſmodi alloquiis vaciuas aures præbere ames. Quo fit, vt manum à propoſita confeſtim ſummoturus ſim tabula, hoc vnum ſi notauero, Ampliſſimum quippe GALLIÆ CANCELLARIVM, grauiſſimi iudicij Virum, ipsóque Epidauri dracone perſpicaciorem, inter alia propemodum infinita, quæ à multis retrò annis edidit admirandæ ſuæ Prudentiæ

exempla, non exiguum eiusdem πολλοςημόϱιον ostendisse, dum Temet vnum, ex omni numero, tanquam huius æui Medicorum flosculum elegit, cui suæ valetudinis curam committeret. In qua quidem Sparte perornanda sic te gessisti, vt nihil suprà ab vniuersis Francicæ Monarchiæ subditis exoptari potuerit, qui tanti Herois salute publicam contineri facilè intelligunt. Quo loco facere non possum, quin cum Hippocrate, *Epist. ad S. P. Q. Abderit.* exclamem: Μακάϱιοί γε δῆμοι, ὁκόσοι ἴσασι τοὺς ἀγαθοὺς ἄνδϱας ἐϱύ

ἐρύματα ἑωυτῆς, καὶ οὐ τοὺς πύργους, οὐδὲ τὰ τείχεα, ἀλλὰ σοφῶν ἀνδρῶν σοφὰς γνώμας. Perge, vt facis, (VIR CLARISSIME) tam bene de patria mereri, perge tam charum omnibus caput ab ægritudinum tueri incurſibus, vt hoc nomine gratiam non minorem à tuis popularibus ineas, neque breuiora ab ipſis folia merearis, quàm olim pro ſeruato ſapientiſſimo Democrito, ab eius Conciuibus conſecutus dicitur Hippocrates. Etſi verò non is ſim qui ignorem, Tibi tali tantóque Viro longè præſtantius aliquod fuiſſe parandum munus,

munus,quàm quod hîc oblatum accedo, non deſpero tamen , quin pro incredibili quâ polles ſempercomitate, meum benignè ſis interpretaturus conſilium, ac minimè dedignaturus propriæ tenuitati conſentanea dedicantem: immò verò quin paſſurus etiam ſis, perpetim vt audiam

Tibi ex animo addictiſſimus
IOAN. CAFFIN Bibliopôla.

INDEX CAPITVM

Vniuſcuiuſque libri.

Liber Primus.

Epigeneſis

LIBER SECVNDVS.

VI. *Ex*

LIBER TERTIVS.

X. *Quid*

LIBER QVARTVS.

STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LVSITANI,

QVÆ EX QVIBVS.

LIBER PRIMVS.

CAPVT I.

Inſcriptionis ratio.

QVISQVIS obſcuritatis inſcriptionem iſtam inſimulas, Hippocratem te inſimulare memento, cuius verba ſunt 1. *epid. ſect.* 3. ὅσα ἐξ οἵων, *quæ ex quibus*: aut, vt alij codices habent, ὅσαι ἐξ οἵων εἰς οἷα, *quæ ex quibus in quos.* Ita morborum

viciſſitudines, ſucceſſionéſve ſignificat, quas Medico, inter quamplurima alia, conſiderandas proponit. Accidunt morbi (vt *ibidem* teſtatur) *alij in ſolutionem, alij in perniciem.* In ſolutionem aliquando idemmet accidiſſe vidit, vt cùm dyſenterici, ſuperueniente ſtranguria, ſanabantur, 1. *epid. ſect.* 2. quod quodammodo animaduertens ait, ἀλλὰ τελέοισιν ἄλλων ἄλλα, *ſed his alia pro aliis.* Abſceſſus etiam, & fiſtulæ iuxta eundem 6. *epid. ſect.* 3. Ἢ ἕτεραι ἀποσκήψιες, *aliorum medela ſunt.* Propterea contemplatur 6. *epid. ſect.* 3. Ἀνθ' οἵων αἱ νοῦσοι, *pro quibus qui morbi.* Videlicet, qui morbi vtilitatem aliis morbis afferre poſſint. Morbíne, qui naturæ ſunt hoſtes, naturam iuuare queunt? quidni? nonne Plutarchus *de vtilitate capienda ab inimicis*, libellum ſcripſit, & inſcripſit? ita ſanè: & quemadmodum rectum ſequitur ex errore, ſic ex morbo ſanitas. Hócne perpetuum? minimè: iccircò Hippocratem dixiſſe animaduerto, *alios in ſolutionem, alios in perniciem.* Fertur ægrotans ſuperueniente morbo, ad perniciem, ſi non ob aliud, ſaltem ob debilitatem. Sententia

eſt

est à magno dictatore in *libello de affectibus* promulgata : *in morbis cùm alter alteri succedit, plerumque occidit.* Dixit *plerumque*, perpetuitatem auferens. Rationem adiungit, *cùm enim corpori à præsente morbo debilitato, alius morbus accesserit, præ imbecillitate perit, priusquàm alter morbus, qui posterior accessit, desinat.* Nec verò sola imbecillitas caussa est, cur posterior morbus interimat, sed plures aliæ. Quare morbos post morbos, quando *ad solutionem*, quando *ad perniciem* accidant, contemplari, præsens erit labor.

Cap. II.

Quid metaptosis, quid epigenesis.

Morbos morbis alios *κατὰ τὴν μετάπτωσιν per metaptosin*, alios *κατὰ τὴν ἐπιγένεσιν per epigenesin* accidere, hypothesis esto. Quid inter vtramque intersit, si quæras, vocabula consule, ipsa te manuducent. Si morbus in alterum morbum, exutus priore pelle, mutetur, Græci *μεταπίπτειν* dicunt, & inde *μετάπτωσιν*, *metaptosin*. Si autem,

vtroque malo superstite id fiat, Græci ἐπιγίνεσθαι, & inde est ἐπιγένεσις, *epigenesis.* Nouit hoc Galenus 7. *aph.* 11. qui *transmutatur*, inquit, *morbus, quando priore cessante, aduenit alter; superuenit autem, quando altero adhuc manente, alter adiicitur.* Est itaque metaptosis, permutatio vnius in alterum, abeunte priore; epigenesis verò, propagatio, hoc est, id quod manente priore, denuò adnascitur.

CAP. III.

Metaptosis aliquando bona.

NOn vnam duntaxat metaptosis subit conditionem: interdum fit ἐκ φαύλων εἰς ἐπιεικῆ, *à prauis ad benigna,* & in hac, quo maximè tempore (vt Galenus admonet 1. *prorrh. sect.* 1. *com.* 12.) Medicis quoad infestantium, vel copiâ, vel qualitate humorum vacuationes procedendum sit, ostenditur. Interdum autem ἐξ ἐπιεικέων εἰς μοχθηρά, *à bonis ad praua.* Iuxta hanc: *si plenior aliquis* (vt Celsus ait *lib.* 2 *cap.* 2.) *& speciosior, & coloratior factus est, suspecta habere*

habere bona sua debet. Nam (vt Hippocrates, à quo Celsus didicit, scriptum reliquit) *Habitus exercitatorum, qui ad summum bonitatis attingunt, periculosi.*

Dices fortasse habitus istos non esse bonos, ac subinde in eis non fieri metaptosin *à bonis ad praua.* Non esse autem bonos persuadebis, tum quia sunt periculosi, (nihil autem periculosum bonum) tùm quia eos statim soluendos esse ait Hippocrates; bonum autem non solui, sed conseruari iubetur. Sunt quidem boni, immò optimi, & quia optimi *non possunt in eodem statu permanere, neque proficere.* Adiungit ergo meritò diuinus Senex: *his de causis bonum habitum soluere expedit*, scilicet præseruationis, non curationis gratiâ.

Interdum etiam est metaptosis ἀδιάφορος, *indifferens:* sic appello eam, quæ nec est *à prauis ad bona*, nec *à bonis ad praua*, sed vel ἐξ ἐπιεικῶν εἰς ἐπιεικῆ, *à bonis ad bona*, vt si sudor conuertatur in vrinam, aut vice versa, mictio transeat in sudorem: vtriusque enim est (inquit Galenus 10. *simpl. cap. de sud.*) materia eadem, & idem generationis modus. Similiter, si mictio, transeat in

deiectionem, aut è contrà si deiectio in mictionem, ex *aph.vlt.lib.* 4.*vtrumq; bonum*. Vel ἐκ μοχθηρῶν εἰς μοχθηρά, *à prauis ad praua*, vt quando ex vno delirio in aliud fit transitus, *vtrumque malum.*

CAP. IV.

Epigenesis nunquam bona.

DE epigenesi quid dicam? nisi semper malum. Vade ad septimum aphorismorum librum, qui ab antiquis περὶ τῶν ἐπιγενομένων, *de epigenomenis*, seu *de superuenientibus* inscribebatur, ibi nihil reperies bonum. Praxagoras (vt refert Galenus 6. *aph.*35. & 7.*aph.*15.) volumen haud paruum etiam *de superuenientibus* scripsit; neque epigenesin, nisi in morbis grauissimis, admisit. Galenum quoque audire libet sæpe hoc idem repetentem. *Superuenientium* (inquit 7. *aph.* 11.) *consistentia, neque paruos, neque mites insequitur morbos, sed magnos, atque malignos.* Propterea in *eodem libro*, *sententia* 15. *à sanguinis sputo puris sputum*, non tanquam perpetuum recepit: *neque enim omne sputum*

sangui-

sanguinis, sequens habet sputum purulentum, sed tantummodò quod malignum existit. Dices fortassis, *à sanguinis sputo puris sputum* esse potiùs metaptosin quàm epigenesin: quippe prior morbus, nempe *sanguinis sputum*, transit in alium morbum, videlicet *puris sputum*. Nihilominus epigenesis dicenda est, cùm vtrobique sit idem eductionis modus, & materia eadem, sed posterior peior priore, quod est epigeneseos proprium. Si autem epigenesis non esset, non collocaretur in eo libro.

Nec verò sufficit, vt morbi, qui epigenomena habere debent, sint suapte natura magni, verùm necesse est etiam, vt tunc cùm epigenesis aduenit, auctam habeant magnitudinem: ideò superuenientia ea esse statuit Galenus 7.*aph*.17. *quæ passionibus auctis, & iam deterioribus factis superueniunt*: nam (vt idemmet testatur 6.*aph*.35.) *superuenire passionibus alias passiones, & casus prisci Medici dicere consueuerunt, quæcunque ipsius passionis aucta ratione contingere solent*. Et meritò: quemadmodum enim animalia, nonnisi prouectioris ætatis, sunt apta gignere; ita

etiam(vt Galeni verbis vtar 5.*aph.*58.) *non simpliciter alterius passio alteri superuenire apta est, sed iis quæ magnitudinem habent effatu dignam.*

Cap. V.

Vrinæ interdum significant metaptosin, interdum epigenesin.

Dvplex vrina meteorismum significat: vna alba diaphana, alia crassa confusa, velut iumentorum; hæc per epigenesin, illa per metaptosin. Libet vtramque enucleare. Quod attinet ad crassam confusam, qualis est subiugalium, hæc epigeneseos est signum. Rem ita accipe: Hippocratis sententia est 4.*aph.* 70. *Quibus vrina perturbata, quales sunt iumentorum, iis dolor capitis vel adest, vel aderit.* Tu tamen *doloris* nomine, omnem laborem accipito: nam vrina, quæ perturbata mingitur, & talis diu permanet, non solùm cephalalgias significat, sed & desipientias, & conuulsiones, & quicquid graue, vel in capite, vel à capite potest euenire. Fit autem hoc per epigenesin,

epigenesin, quoniam tanta est agitatio, vt procella ad cælum vsque, hoc est, ad sacrum mentis domicilium attingat, sed inferiore regione non interim remanente liberâ, quæ est epigeneseos (vt sic dicam) conditio sine quâ non.

Quod verò spectat ad alteram vrinam, nempe albam diaphanam, ea præter cruditatem, quam vtplurimùm indicat, potest aliquando raptum humoris à venis, in quibus ichorem tingebat, significare. Si hoc delirantibus accidere videas, viam cerebri accepisse, & rationis arcem occupâsse existimato. Quemadmodum enim fumus inferna domorum deserens tectum petit, quod nigredine inficit: Sic flaua bilis, cerebrum, quod tecto domûs assimilatur, petens, illud suo flauo imbuit colore. Propterea 4. *aph.* 72. inquit Hippocrates: *Quibus vrina alba, & perspicua mala, præsertim, si in delirantibus appareant.* Vertunt alij *in phreniticis.* Alij aliter, vt videre est tum apud Galenum, tum apud alios expositores. Quod verò in præsens confert, est scire vrinas fieri decolores, ex defectu biliosi succi, à quo flauum habent co-

lorem : quippe ſuccus iſtè ad caput ſerpit, vt indicat delirium, & infernas partes deſerit, vt oſtendit priuatio coloris.

Nihilominus negaret aliquis eſſe metaptoſin, potiúſque vellet epigeneſin appellare : nam per has vrinas non adeſt diminuta febris, ſed ſæpe aucta. At ſcito, bilioſi humoris qui ſedem mutauit, metaptoſin eſſe ; quoniam autem locus, in quem ſe contulit, eſt membrum princeps, nempe cerebrum, ex cuius inflammatione febres vehementiſſimæ excitantur, fit vt quæ febris vna erat, duplex reddatur, & ſubinde vehementior quàm antea. Eſt namque febris prior, eſt & poſterior, quæ febris ſymptoma appellari debet: nec quia ſymptoma eſt, exiſtimes cum Valleſio eſſe ephemeram. Deciſa eſt alibi hæc controuerſia, & febres, quæ ad inflammationes, aut alios morbos conſequuntur ; eóſque velut vmbra corpus, ſequuntur, ſymptomata omnes, præter vnum Valleſium, appellant.

Adhuc non acquieſcit forſitan animus, ſed ex Galeno dubitandi anſam accipit : quippe in *aphoriſmi commentario,*

mentario, aliam etiam recipit expositionem: *Aquosæ vrinæ malæ sunt, præcipuè verò tales apparent in phreniticis, qui perniciosè se habent.* Si igitur non in omnibus, sed in iis quibus aucta est phrenitis, hoc fit, hæc est epigeneseos lex, non metaptoseos. At inprimis isthæc expositio, à multis indigna quæ recipi debeat, censetur. Deinde si eam recipias, considera epigenesin fieri, priore malo aucto, phrenitidem verò in hac mutatione coloris vrinarum, posteriorem esse morbum, qui meritò ingrauescit, propter augmentum materiæ à venis transmissæ. Itaque habent se perniciosè phrenitici non ante, quàm vrinæ decolores appareant, sed tunc cùm tales apparent, immò paulo postquam tales apparent, ita vt coloris in vrina defectum vel comitetur, vel sequatur augmentatio phrenitidis. Epigenesis autem sequitur ad morbum iam priùs auctum.

Cap. VI.

Vrina etiam vt causa, & metaptosin, & epigenesin faciunt.

POtest vrina, non vt signum, sed vt excrementum quoddam est, epigenesin efficere, vti siquando στραγγουρία, *vrinæ stillicidium*, vel δυσουρία, *difficultas vrinæ*, per epigenesin, hoc est, per propagationem mali, euadãt ἰσχουρία, *vrinæ suppressio*. Aut etiam quando vrina multa, sed colorata, vertitur in vrinam multam, sed nihil in colore à potu diuersam, prior affectus multitudo vrinæ appellatur, posterior autem ex augmẽto prioris mali, dicitur δίψακος, καὶ διαβήτης, καὶ ὕδρωψ εἰς ἀμίδα, καὶ διάρροια εἰς οὖρα, nos retento Græco vocabulo communiter *diabetem* nuncupamus.

Similiter vrina, vt causa, hoc est, vt euacuatio, metaptosin facit, vt in illa tempestate, in qua dysenterici liberabantur per vrinas, quas Hippocrates *1. epid. sect. 2. text.* 8. appellat *stranguriosas non nephriticas*, quasi dicat mordaces, non renum vitio, sed quoniam bilis acris

acris, quæ inteſtina corrodens dyſenteriam excitabat, conuerſa ad veſicam, ibíque mordens, ſtrangurioſum affe-ctum præ ſe ferebat. Et hæc eſt metaptoſis *à prauis ad bonum*, etiam in morbis qui ſunt extra venas. In aliis etiam, qui intra venas ſunt, & diuturnas excitant febres, poteſt *ad bonum* metaptoſis fieri: ſiquidem 4. *aph.* 74. materia harum febrium pituitoſa, quæ propterea abſceſſum apta erat efficere, ad vias vrinarias conuerſa *liberat*.

Cap. VII.

Eundem morbum poſſe in vno per epigeneſin, in alio per metaptoſin fieri, exemplo pleuritidis, & peripneumoniæ confirmatur.

ILludit aliquando pleuriticos falſum ſalutis ſpecimen: ſiquidem punctorio dolore euaneſcente, rem putant in tuto eſſe, verùm cum ſuo malo addiſcunt, difficultate reſpirationis adhuc manente, & febre in ſua acutie perſeuerante, tranſlatam fuiſſe materiam à membrana coſtas ſuccingente, hoc

eſt,

eſt, à pleura, ad pulmones, & ex pleuritico, non minore periculo factum eſſe peripneumonicum, & hoc per metaptoſin, receſſu materiæ à priore loco ad alterum. Verùm poteſt etiam pleuriticus per epigeneſin peripneumonicus fieri, ita vt nec ceſſet dolor, & adſint noui morbi ſigna. Immò verò, quando Hippocrates 7. *aph.* 11. ait, *à morbo laterali inflammatio pulmonis malum:* Galenus, & per metaptoſin, & per epigeneſin poſſe fieri fatetur, inquiens, *quòd morbus lateralis ſoleat in pulmonis inflammationem transmutari, vel morbo laterali pulmonis inflammatio ſuperuenire.* Attamen exiſtimat aphoriſmum de epigeneſi loqui, nam adiungit: *verùm hoc in loco videtur Hippocrates de ſuperuenientibus agere, quibus ſtatim hoc ineſt, quòd mala ſint, adeò vt etiamſi hoc verbum [malum] non adiiciatur, vel ſubaudiendum ſit, ſecundum modum à communi ductum, vel potentiâ oſtendi exiſtimandum.* Itaque quoniam Hippocrates dixit *malum*, arbitratur Galenus eum *de ſuperuenientibus* agere. Cæterùm ſiue per metaptoſin, ſiue per epigeneſin fiat, ſemper eſt *malum.* Per metaptoſin

metaptosin quidem: nam cùm transmutatio à pleuritide ad pulmoniam, sit ad grauius malum, non solùm dicetur metaptosis *à prauis ad praua*, sed multo meliùs *à prauis ad peiora.* Per epigenesin autem, quoniam hæc semper est mala. Si verò quæras, cùm à pulmonia ad pleuritidẽ vertitur ægritudo, quo nomine sit designanda? Respondebo cum Galeno *ibidem*, hunc euentum rarissimum esse: siquidem *ad inflammationem quidem pulmonis morbus lateralis non admodum consequi solet: quoniam si mitis fuerit inflammatio, omnis humor noxius per sputum expurgatur; in perniciosis verò, antequàm costa compatiantur, strangulat ægrum.* Si verò contingat aliquando ex pulmonia pleuritis, vel erit propter auctam in pulmone materiam, & pleuræ accedentem, & erit epigenesis; vel ob eandem transmutatam, & erit metaptosis *à prauis ad praua.* Nam si aliquantulùm minus malum sit pleuritis, tamen hoc minus, incommoditate, quam secum affert posterior morbus, compensatur.

CAP.

Cap. VIII.

Idem oſtenditur exemplo rigoris.

Rigor etiam in ardentibus, & per metaptoſin, & per epigeneſin poteſt euenire: quamuis enim 4. *aph.* 58. dum Hippocrates ait: *à febre ardente habito, rigore ſuperueniente, ſolutio*, vtatur verbo ἐπιγενομένου, nihilominus de tranſmutatione, iuxta Galeni mentem, debet intelligi: ſiquidem rigor iſte, materiæ tranſmutationem ſecum fert, ſiue per deiectionem, ſiue per vomitum, ſiue per ſudorem. Quando autem eodem 4. *aph.* 46. dicitur: *ſi rigor incidat, febre non deficiente, ægro iam debili, lethale eſt.* Conſidero verba illa, ῥῖγος ἐμπίπτῃ πυρετοῦ μὴ διαλείποντι, hoc eſt, *ſi rigor incidat febre non deficiente*: vt ſit ſecundus morbus, non deſinente priore, quod quidem iccircò θανάσιμον, id eſt, *lethale* eſt. Ita vt rigor poſſit fieri, mutatâ ad habitum corporis materiâ, vel eâdem propagatâ.

Cap. IX.

Idem, exemplo diarrhœæ.

POteſt ſimiliter alui fluxus pleuritico, aut peripneumonico interdum per metaptoſin, interdum per epigeneſin, ſuperuenire. Metaptoſis quidem erit *à prauis ad bona*, nempe tranſmutatâ materiâ à pulmone, aut pleurâ ad inteſtinorum vias. Epigeneſis verò, ſuo more, praua erit, communicato ſcilicet iam hepati malo: vnde Hippocrates 6. *aph.* 16. *à morbo laterali, ſeu pulmoniâ habito, fluxus alui ſuperueniens, malum.* Quomodo ergo cognoſcemus, num per metaptoſin, an per epigeneſin fiat? Ex affectus magnitudine. Ideircò Galenus conſiderat verbum illud *habito*, id eſt, *detento atque vexato:* quoniam, vt ipſe ait, *in mediocri morbo laterali atque pulmonia, profluuium alui ſuperueniens poteſt interdum prodeſſe, ratione euacuationis.*

Cap.

Cap. X.

Idem, exemplo hydropis.

EST etiam in febre acuta epigenomenon, ſanguificandi actio vitiata, ad quam hydrops ſequitur. Non eſt præſentis negotij omnes hydropis ſpecies percurrere: hoc alibi præſtiti, & aliorum etiam fuit labor. Solùm hîc conſiderandum offero, hydropem vel fieri primariò, de quo non opus eſt agere, vel ſecundariò: & hic vel fit per metaptoſin, & eſt bonus, vel per epigeneſin, & eſt prauus. Vtrumque reperies apud magnum Hippocratem. Nam inprimis per metaptoſin fit, mutato humore à capite ad partem infernam. Extat *aphoriſmus quintus ſectionis ſeptimæ: A furore difficultas inteſtinorum, vel aqua intercutem, vel mentis alienatio, bonum.* Galenus ibi metaptoſin agnoſcit, licèt mentis alienationem bonam eſſe non recipiat, quia ibi nulla datur bona metaptoſis. At in reliquis *difficultatem quidem*, inquit, *inteſtinorum, vel aquam intercutem, tranſmutationis*

tionis ratione, esse furoris sanationem, non est extra rationem, cùm à capite noxij humores transferantur.

Per epigenesin autem aqua intercus est illa, quæ morbis acutis superuenit, dicente Hippocrate 2. *progn.* 1. *Aquæ intercutem omnes, quæ ex acuto morbo existunt, malæ sunt: non enim à febre liberāt, doloros aque sūnt valde, & lethales. Incipiunt autem plurimæ ex partibus inanibus, ac lumbis, iecoréque.* Vnum habet commune hydrops factus per epigenesin, cum aliis, quæ fiunt vel primariò, vel per metaptosin, videlicet quòd in omnibus iecur afficitur: neque enim potest sanguificationis actio deperdi, quin iecoris vitio, & culpâ hoc accidat. Accidit tamen nonnunquam ab aliis partibus vitium incipere, nihilominus vt sit hydrops, necesse est iecur in consensum saltem trahi. Propterea *incipiunt multi à partibus inanibus, ac lumbis, iecoréque.* Quod à iecore incipiant, nulli dubium est; quòd autem à partibus inanibus ac lumbis, id quomodo fiat, explicatione indiget. Sunt partes inanes, Græcè ἀπὸ τῶν κενεώνων, & hæ à Galeno appellantur τὰ λαπαρὰ, id est,

eſt,flaccidæ partes. Sunt autem ab extrema thoracis coſta vſque ad oſſa ilium, & comprehendunt totum id ventris molle & ſine oſſibus ſpatium, quod pertinet ad inteſtina tenuiora, ieiunum, & lactes,quæ ſunt venæ meſaraicæ. Iſtæ autem partes, meritò inanes appellantur, vbi ad ſuperiores, & inferiores comparantur, quæ omnes oſſeæ ſunt. Cùm igitur iſtæ partes iecori ſint circumuicinæ, ex earum praua diſpoſitione, prauè quoque diſponitur ipſum iecur. Addit præterea Hippocrates lumbos, tum quia non valde à iecore etiam diſtant, tum quoniam lumborum nomine comprehenduntur renes,quorum debilis attractio, aquoſi humoris retentioni,aggregationíque occaſionem præſtat. Ex multorum aliorum viſcerum affectibus, vt ex liene fit, hos tamen omiſit, quoniam loquebatur de aqua intercutem, quæ acuto ſuperuenit morbo. Non eſt tamen negandum, liene inflammato, iecur etiam, in ſuo ſanguificandi munere plurimùm deficere, ac propterea tractu temporis epigeneſin ex morbo lienis fieri. Itaque hydropes per epigeneſin

genesin non liberant à febre: quoniam, vt Aëtius *tetr.* 3. *serm.* 2. *cap.* 20. inquit: *humor qui detinetur, salsus est, & putrefactus.* Dicuntur itidem dolorosi, non quod alios hydropes, qui primariò fiunt, dolor non comitetur, sed isti præ dolore ægrum rapiunt, quia scilicet illum à priore morbo confractum accipiunt.

CAP. XI.

Epigenesis in morbum eiusdem speciei.

PRopagari morbum in eadem specie infima contingit, vt si ignis sacer, qui crus, aut brachium occupat, vel è crure ad abdominis regionem, vel ad thoracis ex brachio dilatetur, & extendatur. Aut etiam si φλεγμονὴ κιονίδος καὶ ἀντιάδων; id est, *inflammatio gurgulionis, aut glandularum quæ sub lingua sunt*, dilatetur adeò, vt deueniat in κυνάγχην, id est, *anginam*; vel quando tertiana, ex simplice fit duplex. In eadem specie subalterna, vt dum ex tertiana intermittente fit continua, aut auctâ

auctâ ventriculi intemperie, iecur intemperiem contrahit, aut vice versa, iecore intemperie laborante ventriculus suscipit eandem.

Cap. XII.

Epigenesis in morbum alterius speciei.

PRopagatio autem in morbum alterius speciei, vt quando ex tertiana fit quartana, aut etiam quando ex febre diuturna fit hemitritæus, acuta quidem febris, & valde lethalis. Et ita accidere posse, colligitur ex Hippocrate *1. epid. sect. 3. text. 5.* & ostenditur ratione quadam non contemnenda: quippe diuturnitate febris, facultas concoctrix debilitatur, ac propterea cruditates multæ congeruntur: Rursus febrilis caloris assiduitate aduritur pars sanguinis, iccircò bilis coaceruatur. Tandem diuturnitate mali varia membra offenduntur, fitque crudis & biliosis succis in variis membris congestis, hemitritæus.

Cap. XIII.

Epigenesis in morbum toto genere diuersum.

QVoniam febris morbus est in intemperie, bubo morbus in compositione, & hi duo morbi toto genere inter se distant, quando ex bubone fit febris, prorogatur morbus in alium toto genere distantem. Prorogatur, inquam: nam ex bubone aucto fuligines putres, atque malignæ cor petunt, & prauam excitant febrem. Quod si sit ephemera, suppurationi duntaxat debetur; quia *dum pus conficitur dolores, & febres fiunt*, febrísque tunc ex spiritibus excalfactis procedit. Itaque cùm Hippocrates dicat 5. *aph.*55. *ex bubone febres omnes ortæ malæ, præter ephemeras*, sunt quidem *malæ* per epigenesin, propagatis scilicet putridis fuliginibus; sunt autem ephemeræ per diadochen, hoc est, per successionem partis ad partem, de qua postea plura dicturi sumus.

Epilepsia & melancholia, si ad morbos spectes, toto genere distant: quippe

pe epilepsia est morbus in via, seu in numero, aut compositione, videlicet obstructio; melancholia morbus in intemperie simul cum materia. Symptomata verò aliquo modo in genere conueniunt: quandoquidem vtrobique actio est læsa, in epilepsia motus, in melancholia sensus, nempe potentia interior. Atque hi duo morbi sese inuicem consequuntur, dicente Hippocrate 6. *epid.sect.*7. *in fine, text.*54. iuxta Foësium. *Atrabilarij etiam comitiali morbo corripi plerumque solent, & vicissim comitiales fieri solent atrabilarij.*

Hoc autem per epigenesin fieri patet: tum quia nunquam melancholicus fit epilepticus, neque epilepticus, melancholicus, nisi aucto nimis malo; tum quia adueniente posteriore prior non cessat. Cæterùm quomodo sese inuicem consequantur, alibi considerabo. Vnum duntaxat nunc inculcare est operæ pretium, quod Galenus adnotauit 3. *loc.affect.cap.* 7. nempe hanc vicissitudinem non esse perpetuam, sed ita *magnâ ex parte* accidere, *quippe non solùm melancholicus succus, verùm etiam pituitosus morbum comitialem committit.*

Igitur

Igitur is, quem melancholicus ſuccus conſtituit, in melancholiam tranſit; qui verò à pituitoſo ortus eſt, in aliam affectionem permutatur, melancholiam verò haudquaquam efficit. Quamuis autem [*permutatur*] dicat, ne propterea metaptoſin intellige: quippe impropriè eſt loquutus, quandoquidem permutatio in alium morbum, manente priore, impropria permutatio eſt.

Cap. XIV.

Epigeneſis inter ſymptomata eiuſdem ſpeciei.

PRopagatur etiam ſymptoma eiuſdem ſpeciei, ex: gr: in exeunte mutato. Habes apud Hippocratem 7.*aph.* 15. *à ſanguinis ſputo puris ſputum*: neque enim ceſſat ſputum ſanguinis ſuperueniente puris ſputo, ſed ex mero ſanguine fit pus ſanguini permixtum. Hunc autem aphoriſmum ad epigeneſin refert Galenus inquiens, *quòd omnis hæc enumeratio ſit eorum, quæ propriè ſuperuenientia vocantur, manifeſtum eſt:* Et huius rei adducit rationem, quia

epigenesis non sequitur, nisi ad graue sanguinis sputum. Aliud exemplum epigeneseos ex symptomate ad symptoma eiusdem speciei, nempe in læsa actione, sumitur ex eiusdem *septimi libri aph.* 18. *In vigilia conuulsio, & desipientia:* Cùm namque vigiliæ crescunt, & durant, patitur cerebrum ex siccitate: vnde duo illa symptomata, alterum in læso motu, videlicet *conuulsio*; alterum in læso sensu interno, hoc est, *desipientia* eueniunt, nec propterea vigiliæ cessant, sed valde horribiliores fiunt.

Cap. XV.

Epigenesis symptomatis ad symptoma diuersarum specierum.

SI verò quæras epigenesin inter symptomata diuersarũ specierum, accipe vnum in actione læsa, alterum in qualitate mutata. Hoc tibi se offert eodem 7.*aph.*16. *In forti dolore ventris,* (& est actio læsa) *frigiditas partium extremarum,* (& est qualitas mutata) *malum.* Neque poterat non esse *malum,* id

id quod per epigenesin fit. Quomodo autem fiat istud *malum*, sic accipe. Contrahitur in forti dolore, pars dolens,& à vicinis partibus contractione sanguinem, ac subinde calorem ad se conuocat. Vicinæ etiam partes,doctrinâ quadam innatâ sanguinem, & spiritus in subsidium ad locum doloris transmittunt. At adhuc extremorum frigiditas nulla est,quippe (nisi in valde debilibus) calor tantus est, qui partim dolenti membro succurrat, partim membrum mandans non deserat. Cùm verò eò increuerit dolor, vt propter illum cor anxietudinem patiatur, (patitur ex vehemente molestiâ,vehementem molestiam dolor infert.) Tunc viscus istud princeps, & fons caloris, ab extremis Microcosmi regionibus ad centrum, hoc est, ad se (quippe in centro residet) calorem attrahit, propterea extrema priùs,vtpote distantiora, frigent, & hoc dixit Hippocrates *malum*: Erit autem deterius, quò plura frigescent membra. Tandem deterrimum,& pessimum, cùm omnia. Contingit autem hoc præcipuè,vt Galenus ait, *5. de loc. affect.cap. 1. quibus vitale*

 robur

robur infirmum est, animi verò affectiones, ob imperitiam, fortes. His animæ [spirituum] *essentia facilè dissolui potest.*

Cap. XVI.

Epigenesis symptomatis in morbum.

Etiam symptomata, si nimis augeantur, propagantur in morbos. Adsit v. g. diarrhœa, hæc si increscat febrem habet comitem: consentaneum enim tantæ agitationi febrile incendium est. Diarrhœam in numero symptomatum, quæ consistunt in excretis immodicè, constitue, febrem morbum appellato. Nam etiam quando febris pro symptomate habetur, morbus est; dicitur tamen symptoma, quia ad affectum priorem, more symptomatum sequitur.

Aliud exemplum, Ἀπολυχία τοῦ τῆς αἱματώσεως ἔργου, id est, *frustratū sanguificandi opus*. Læsa nēpe actio, & subinde symptomatica, tres multiplicat substantias naturę nostrę suâ multitudine aduersas, serum, pituitam, flatus; hinc tres emergunt

gunt hydropis species satis notæ. Est autem hydrops morbus in compositione, seu in figura.

Tertium exemplum. Dolor est symptoma, læsa scilicet actio, propagatur autem in morbum, hoc est, in inflammationem, quod luculenter exponit Galenus 3. *meth.cap.* 3. in hunc modum. *Vna est natura facultas, quam excretoriam dicimus: ea suo munere fungitur, cùm triste aliquid sentit. Vnum verò quiddam ex iis, quæ eam contristant, ipsa quæ dolorem excitat causa, quæcunque ea sit. Hanc igitur eiicere dum properat, phlegmonen interdum in particula excitat: cùm enim primis suis conatibus nihil profecit, vehementiùs aggressa, quod infestat expellere, sanguinem, & aliquid spiritus, ex superpositis partibus, in afflictam simul exprimit. Atque hinc fit, vt ex dolore, particula, pro portione fluentis humoris, in tumorem tollatur.*

Quartum exemplum ex 7. *aph.* 23. *A deiectione syncera difficultas intestinorum, malum.* Quippe *deiectio syncera*, symptoma est in excretis immodicè: ab hac fit morbus in compositione, seu etiam in continui solutione, vide-

licet vlcus in inteſtinis, hoc eſt, *dyſenteria*, ſeu *difficultas inteſtinorum.*

CAP. XVII.

Epigeneſis morbi in ſymptomata.

PRæter ſymptomata παθογνωμονικὰ *pathognomonica*, quæ neceſſariò cum morbo adueniunt, & ἐπιφαινόμενα, *epiphanomena*, ſeu mox apparentia, quæ eueniunt quidem ſimul cum morbo, non tamen neceſſariò, nec ſemper: ſunt alia ἐπιγινόμενα, *epigenomena*, ſeu ſuperuenientia, quæ ad magnitudinem morbi conſequuntur. Hæc quamuis tam multa ſint, vt comprehendi omnia vix poſſint, non inanis erit labor, plurima pertractare, tum quæ febrium calorem, & ſiccitatem conſequuntur, vt ſitis, quæ licèt ſit pathognomonicum ardentium, poteſt, ſi augeatur, inter epigenomena recenſeri. Sic Philiſcus 1. *epid. ſect.* 3. *ægr.* 1. febre ardente correptus, *tertia die apparuit ſitibundus.* Iactatio etiam in lecto, caloris implacabilitatem ſequitur, vigilia ſiccitatem, delirium vtrumque. Alia etiam ſunt, quæ

quæ eſſentiæ febris aduerſantur, vt ſi in febre ardente calor non ſit valde mordax, ſi æger cum linguæ ariditate non ſitiat, ſi lingua non rubeſcat, ſi in lecto non agitetur. Hæc licèt non ſint ſymptomata, ſed ſymptomatum priuationes, nihilominus nonniſi malignis febribus ſuperueniunt.

CAP. XVIII.

Febris erratica, ſeu πυρετὸς πλανώδης.

Contingit aliquando, vt tertianæ motus, qui priùs ſtatutum ſeruabat ordinem, poſtea reddatur ἄτακτος καὶ πεπλανημένος, id eſt, *inordinatus*, *erraticus*, & febris hæc πλανώδης appellatur. Eſt autem iſta paroxyſmorum incertitudo, ſignificans vel varietatem humorum, cùm ſcilicet febrile incendium vnum tantùm, ſaltem præcipuè, mox verò plures, ferè principaliter, apprehenderit. Vel prædominium melancholici ſucci, qui in principio non ardebat, ſed ſolus bilioſus, poſtea ardere incipit, & pars eius mouetur putrefacta,

facta, pars alia sine putredine manet immota. Hoc epigenomenon est ex iis, quæ materiam febris sequuntur.

Cap. XIX.

Febris singultuosa, seu πυρετὸς λυγγώδης.

EX iis verò quæ locum materiæ febrilis referunt, est λύγξ, λυγμὸς, & λυγμὸς, id est, *singultus*, quo affecti dicuntur λυγγώδεις, id est, *singultuosi*. Non autem quilibet singultus febrem facit, quæ λυγγώδης, id est, *singultuosa* appellatur. Nam, *vt singultuosa vocetur* (inquit Galenus 4.*acut.* 69.) *permanere ampliùs debet singultus, vel etiam per totum morbum simul cum febre exacerbari*. Intellige tamen *per totum morbum*, id est, ex quo singultus cœpit ægrum corripere. Etenim potest aliquando simul cum febre adesse, & tunc est ἐπιφαινόμενον, id est, *mox apparens*; aliquando euenire post primos dies, & est ἐπιγινόμενον, id est, *superueniens*. Attamen debet perdurare, nam ex singultu qui facilè euanescit, non dicitur febris

febris *ſingultuoſa* : Solet namque ſingultus facilis, vel ſpiritûs cohibitione, vel ex Hippocratis admonitu 6. *aph.* 13. ſternutatione euaneſcere : vt contigit Ariſtophani, qui cùm ſingultiendo rumperetur, neque ſpiritum cohibendo, neque bibendo leuaretur, tandem ex præſcripto Eriſymachi Medici, citatâ ſternutatione, ſingultiendi finem fecit. Itaque Galenus eos qui vomitu bilioſo à ſingultu liberantur, febre ſingultuoſâ detentos appellari vetat.

Porrò ſingultus eſt ventriculi concuſſio, ſiue côuulſio, quâ tunicæ ipſius, id à quo pertinaciter moleſtantur, excutere laborant : fitque ex Galeni ſententia 4. *acut.* 69. *&* 6. *aph.* 13. quemadmodum reliquæ conuulſiones, aut inanitione, aut repletione; fit etiam à re mordicante, ideò Galeno ſingultus accidebat (vt ille refert 3. *loc. affect. cap.* 7.) quoties piperis immodicam quantitatem ingerebat. Materia igitur ſiue aduena, ſiue indigena, in ventriculi ore conſiſtens ac putreſcens, febrem excitat ſingultuoſam : febrem, (inquam) ob putredinem; ſingultum, ob irritationem, Quòd ſi inde vel diſcuſſione,

vel euacuatione extrahatur, vtrumque cessat, nempe febris, & singultus, quippe hæc duo ab vna causa fiunt. Si non extrahatur, sed duntaxat ab eo loco remoueatur, cessabit singultus, (erat namque ratione loci) remanebit febris, remanente in corpore humore putrido. Si putredo corrigatur, maneat tamen tunicis ventriculi aliquantula materia impacta, cessabit febris, sed singultus *permanebit amplius.* Hanc febrem curat Hippocrates 4. *acut.* 69. rebus attenuantibus, incidentibus, abstergentibus. Cæterùm in ea potest singultus statim aduenire, si statim materia mordeat, & erit symptoma epiphænomenon: poterit & paulo pòst auctâ cum putredine mordacitate superuenire, & erit epigenomenon.

Potest etiam, nullâ in ore ventriculi materiâ existente, sed duntaxat compatiente illo ad alia, fieri singultus, idque dupliciter, primò ob *συγγένειαν* *gentilitatem*, *consanguinitatémve*, cùm scilicet parte aliquâ neruosâ affectâ, neruosum genus, & neruorum origo cerebrum, in consensum trahuntur; & quoniam os ventriculi plurimos, magnósq;

magnósque participat neruos, concutitur, & conuellitur, cúmque pars primò affecta febrem inducat, inducit similiter singultum. Et licèt singultus simul cum febre adueniens, sit febris epiphænomenos, nihilominus ratione passionis neruorum, quæ nonnisi valde aucta stomachum in consensum trahit, erit epigenomenos. Ad calcis syderationem, dixit Hippocrates 2. *de fracturis, text.* 23. singultum sequi, verùm non statim, sed si diu iacuerit æger, quam rem appellauit ὑπτιασμὸν, id est, *supinitatem.*

Secundò, (& hæc est singultuosa, in qua singultus semper est epigenomenos) quando propter vicinæ alicuius partis inflammationem, ventriculus vel premitur, vel vritur, vel conspurcatur. Sic 7. *aph.* 17. *In hepatis inflammatione singultus, malum*: vbi Galenus in hunc modum. *Dixi & antea, quòd omnes hi seriatim aphorismi de casibus docent, qui passionibus auctis, & iam deterioribus factis superueniunt. Hoc modo igitur & nunc, singultus hepati inflammationem patienti dicitur superuenire, non semper, neque quomodolibet pa-*

tiente, ſed quando in magnitudinem attollitur, feruente inflammatione: in quo feruore ſtomachus ad compaſſionem trahitur nonnunquam, communium neruorum ratione, qui ſunt (*vt ipſe docuit* 2. epid.) *breuiſſimi*, &c. Eadem etiam vel compreſſio ventriculi, vel eiuſdem aduſtio, vel à vaporibus tetris conſpurcatio, ex quorum quolibet fit ſingultus, contingit ex thoracis inflammatione, quod colliges ex 2. *de morbis*, vbi ſic habetur: *Febris detinet vehemens, & rigor, & tuſſis, & ſingultus, & vnà cum ſalina grumos ſanguinis tuſſiendo reiicit, & ſeptimâ die moritur.*

Cap. XX.

Febris horrifica, ſeu πυρετὸς φρικώδης.

QVidquid de horrore in præſenti dicam, de rigore ſimiliter dictum putato: differunt enim iuxta magis & minus; quippe horror paruus eſt rigor. Febris horrifica non eſt illa, cui initio acceſſionis horror adeſt: huic enim ἴδιον καὶ παθογνωμονικόν, id eſt, *proprium*, &

& pathognomonicum signum est horror. Vt ex intermittentibus sunt quartanæ, quas non propriè (cùm eorum proxysmi cum horrore incipiant) horrificas appellabis. Ex continuis hemitritæus, quamuis hemitritæum aliquo iure posses febrem horrificam nuncupare: quippe non solùm initio accessionis, sed per totam ipsam horroribus infestatur. Porrò horrificæ febres sunt, quibus epigenomicè crebri horrores superueniunt. Contingit autem hoc inprimis in suppurationibus. Suppurationum nomine comprehendo, non solùm quando pus in thorace colligitur, sed in quouis alio abscessu, & vomica. Esse autem epigenomenon ex eo addisces, quod auctam febrem consequitur. Id Galenus agnouit 2. *progn.* 58. primum enim diem suppurationis eum appellat, *quo rigor vnà cum febre, vehementiore scilicet admodum, quàm anterior, existente, coincidit*. Quænam autem pars suppurationem patiatur, ex propriis accidentibus, & aliis locorum affectorum signis cognoscitur. Est etiam epigenomenon auctæ inflammationis : siquidem Galenus

de trem.rigor.palpit.cap.7. Inflammationem,cùm in abſceſſum mutatur, rigorem, horrorémque comitari;ait.

Deinde ex qualibet putredine rigores ; horroréſve excitantur : nam (vt Galenus eodem 2. *progn.* 58. ait) *malignis vlceribus , aut cuidam putredinoſa affectioni rigere & febricitare contingit.* Hoc tamen , dummodò adſint conditiones, de quibus 10. *meth. cap.* 4. & 3. *criſ.cap.* 11. Prima eſt *multitudo* , nam multa paucis mordent magis ; morſu autem mediocri horror fit , maiore rigor. Altera *acrimonia* , hæc quò magis inſignis eſt , eò magis pungit. Tertia *motûs celeritas* : quippe quæ velociter feruntur , vellicant magis , quàm quæ tardè. Quarta *virium infirmitas*,etenim vires ſi validæ ſint , contemnunt omnia ; ſi debiles à quolibet offenduntur. Rigent itaque ægri,vel propter humores bilioſos in corpore contentos , vel propter pituitam illam quam Praxagoras vitream appellauit; hæc enim etiam mordere eſt apta. Propterea epialas,in quibus, vt Galenus ait 2. *de differ.feb.cap.* 6. ægri *ſimul febricitant ac rigent*,inter horrificas recenſeo.

Nec

Nec verò humores solùm, sed & vapores etiam putridi rigere faciunt, & horrere. *Mordentem halitum, & succum, vbi per sensibilia corpora fertur, horrorem rigorémque excitare* dixit Galenus 10. *meth. cap.* 4. Dixit autem *halitum, & succum*, non vtrumque simul, sed alterum eorum: multoties enim particula [&] disiunctiua est, non coniunctiua. Posse verò flatuosam substantiam per se solam rigores mouere, testantur tum Hippocrates *in libello de flatibus*, tum Galenus 2. *de sympt. caus. c.* 5. Quamuis autem Galenus dicat, aliquando naturam rigore ab excrementis biliosis exonerari, non ideò negare potest, putridas etiam fuligines rigorem facere, & hinc colliges, (quod Stephanus Atheniensis optimè annotauit) solas putridas febres rigorem comitem habere. Nam ephemeræ & hecticæ nec habent materiam irritantem, neque acrium fuliginum effluxum. Ita tamen vt effluxu exoneretur natura, retentione autem agitati humoris vaporísve horreat, aut rigeat. Agitatur autem non solùm per venas, quas non omnino sensu carere, ex Galeno ali-

quando

quando demonstrauimus, vel per pancreas,& mesenteriũ,quæ est totius impuritatis sentina: quippe materia hæc continens in se putredinis rudimenta, facilè ebullit, ferítque membranas, dolorem cum horrore inducens. Potest etiam venenata quædam qualitas irrequietam tribuere conditionem, ob quam in corpore à cacochymia obstructo, materia hac illac fluitans sensationem tristem excitat; propterea natura refugit,& contrahitur; hinc horror, & à fortiore etiam causa rigor oritur.

An detur sine febre rigor, nihil ad præsens institutum attinet. Veteres eum non agnouerunt; agnouit Galenus. Sed cùm etiam sine febre cacochymia dari possit,& rigor à cacochymia fieri, potuit quidem parsimonia veterum neque tantam cacochymiam, neque rigorem, qui ei accidit, videre; posteriores autem prauo victu vtentes, in hunc affectum inciderunt, vt adolescens ille,qui palmularum glandibus viridibus vtebatur, *de trem. rig. palpit. cap.*7.Si quæras, quomodo continuis, in quibus materia non fertur extra

venas

venas, rigor adesse possit? Respondeo, ordinatum solis contingere intermittentibus, quæ statuto tempore transmissione humoris extra vasa, suas conficiunt reuersiones. At continuæ intra vasa habent feruorem, putredinémque, cuius aliqua pars redundans mordet, & rigori, horroríue occasionem præbet. Vt non simpliciter putridarum, sed malignarum quæ materiam irrequietam habent, sit proprium, crebris horroribus ægrum vexare.

Cap. XXI.

Febris anxiosa, seu πυρετὸς ἀσώδης.

SAni homines siquando præsentibus molestantur, & ab vno negotio atque actione ad aliam transeunt, ἀλύειν, id est, *anxietudinem* habere dicuntur: eodem modo (Galenus ait 7.*aph*.56.) ægros illos anxios dicimus, qui decubitum non ferentes, iacendi figuram euariant, quia semper præsens aggrauat eos. Iactantur aliqui in lecto, non ob aliam causam, quàm ob ingestum

gestum intempestiuè cibum. Videbis apud Hippocratem 2.*acut.text.* 22.eos, qui consueti non sunt prandere, & prandent, si supercœnauerint, ἀπαλλάξιν, id est, *alui lauitatem, siue humidam deiectionem* pati. Verùm in exemplaribus non paucis (teste Gal.) non ἀπαλλάξιν scriptum reperitur, sed ἄσην, vt eo vocabulo ῥιπτασμὸν, id est, *proiectationem* intelligamus corporis hominis huius, qui ita cibatus est, corporis (inquam) ob cibi multitudinem ἀσωμένου, id est, *grauiter molestéque habentis, atque implacidè, inquietéque dum in lecto iacet, sese permutantis.*

Hæc iactatio interdum etiam febres, quas Hippocrates 4.*acut. text.* 47. ἀσώδεις appellat, comitatur, nempe in quibus ægri (vt Galenus interpretatur) *grauiter afficiuntur, atque implacidè habent.* Vt 7. *epid.* contigit Chariti, quæ *stragula reÿciebat.* Significabatur ampliùs anxietas, quoniam somno non quiescebat, sed erat *sopor cum dolore.* Ita videbis anxiosos, etiam dum dormiunt, conqueri. Sic *eodem libro* Parmenisci status describitur, & anxietas eleganter in hunc modum: *Somni aderant,*

rant, quandoque verò vigiliæ, & iactatio cum silentio, & anxietas, & manus ad præcordia veluti dolenti. Quoniam autem apud Hippocratem nonnunquam anxietudo dicitur ἄλυσις, *seu* ἄλυξις, *siue* ἀλυσμὸς, *seu* ἀλύη, nonnunquam verò ἄση. Inter hæc exiguam, vel nullam differentiam reperio, nisi velis ita accipere, vt ἄση magis sit τῆς ψυχῆς, *animæ*. Alia verò τοῦ σώματος, *corporis*, nempe ῥιπτασμὸς, id est, *iactatio*. Cæterùm hæc duo semper sese comitantur, aut saltem cùm aucta est animi anxietas, necessariò corporis inquietudo sequitur. Parmeniscus ille adeò tædio sui tenebatur, vt cuperet è vita discedere, hoc tamen initio interpolatim patiebatur: nam *aliquando rursus latus erat*. Tandem progressu temporis aduenit ei ῥιπτασμὸς μετὰ σιγῆς καὶ ἀλυσμὸς, id est, *iactatio cum silentio, & anxietas.* Similiter Chartadæ ἄση δὲ περὶ τὴν καρδίαν, καὶ ἱδρώτιον σχεδὸν καθ' ὅλον τὸ σῶμα, id est, *anxietas circa os ventriculi, & sudor per totum ferè corpus*, sed progressu ἄση πλείω, καὶ ἀλυσμὸς, id est, *anxietas maior, & inquietudo*: Tandem aucto iam valde morbo, ῥιπτασμὸς πολὺς, καὶ ἐπὶ τὰ δεξιὰ καὶ

ἐπὶ

ὅπῃ τὰ ἀριστερὰ, μεταῤῥίπτων ἑωυτὸν, οὐδ' ἕνα χρόνον ἀτρεμίζειν δυνατὸς ἦν, id eſt, *iactatio multa, & ad dextra, & ad ſiniſtra trãſmouens ſeipſum, nullo tempore quieſcere poterat.* Iactationem in lecto cognoſcimus, ſi æger *nudos habeat pedes, nec admodum calidos*, 1. *progn.* 16. Nam qui calidos pedes detegit, nihil præter caliditatem ſignificat, quâ oppreſſus æger refrigerari expetit; qui verò non calidos, huic aliunde hoc accidit, nempe ex inquietudine. Anxietatem iſtam, ſeu tædium ſui, præter alios morbos, habuit patientiſſimus Iob: quippe *cap.* 10. dicebat, *tædet animam meam vitæ meæ.* Latuit Pinedam hæc ægritudo, qui tot alias in ſanctum hunc virum congeſſit, vt nec morbum Gallicum omiſerit, quo nihil ineptius dici potuit.

Inter omnes anxietatis cauſas, frequentiſſima eſt oris ventriculi affectus, immò huic magis propriè vocabulum ἄση, ſiue ἄση quadrare videtur: ſiquidem & faſtidium, & nauſeam, eo ſignificant autores Græci. Dioſc. *lib.* 2. *cap.* 184. ait κρόμμυον ἀσώδες εἶναι, id eſt, *cepam ſtomacho faſtidium afferre*, ſeu *nauſeoſam*

nauseosam esse. Et Galenus eodem vtitur 1.*ad Glauc. cap.*15.vt *cibi fastidium* exprimat. Cæterùm anxietatis, ex oris ventriculi affectu ortæ, mentionem facit Gal. 1.*prorrh. sect. 2. com.* 44. Fit igitur, quando *os ventris à prauis mordetur humoribus*, qui tamen non multi sint, neque in ventriculi spatio innatantes, sed in eius tunicis immersi. Facilè cognoscitur hæc anxietas; quia nauseam habet adiunctam, nauseam (inquam) ἀνεμέτως, id est, *sine vomitu*; nam qui sic anxiantur, vt Gal. notat, nauseabundi sunt. Contingit ista aliquando in longa ἀσιτίᾳ, *inedia*, propter quam ventriculus prauis ichoribus repletur. Sed hæc etiam citra febrem adest, vt illa quam diximus fieri propter ingestum intempestiuè cibum. Ad hanc referri potest anxietas, quæ, vt narrat Hippocrates 7. *Epid.* Pausaniæ filiam ex fungi esu tenebat.

Itaque corpus ἀσώμενον, *anxium* redditur, vel præ nausea, & satietate, vt diximus, quæ præsenti negotio vix inseruit: siquidem vel sanis accidit, vel febrium est magis ἐπιφαινόμενον, *mox apparens*, quàm ἐπιγινόμενον, *superueniens:*

ueniens: quia ſcilicet qui ventriculo ſcatente febricitat, & febrem,& anxietatem ſimul initio habet.

Vel præ caumate,non illō quidem, quod in paroxyſmorū febrilium augmento, vigoréve fit: nam anxietas inde orta ſtatim vomitu, aut deiectione quieſcit, ſed eo quod ſtabile eſt, & ebullitionem in vena caua, & arteria lumbari conſequitur. Hæc anxietas nonnunquam mox apparens eſt, nonnunquam autem auctæ febri ſuperueniens.

Vel præ malignitate. Malignitatis etiam nomine ὀργασμὸν, id eſt, *turgentiam* comprehendo: quippe malignum eſt quod turget, turgens autem materia, & irrequietè fluctuans, non ſinit ægrum quietum manere. Maligna cor obſidet, corde autem vitæ fonte peſſimos inſultûs patiente, totum animal commouetur,& tum animo, tum corpore anxiatur.

Vel præ debilitate: quippe ob virium debilitatem (inquit Galenus 1. *prorrh. ſect. 2. com. 44.*) *virtus à corpore grauatur, nullámque figuram facilè ſuſtinet*; ſic affecti *perniciosè afficiuntur*. Iiſdem

dem ferè verbis D. Paul. *epist.* 2. *ad Corinth.cap.* 1. sic ait: *Non enim volumus ignorare vos, fratres, de tribulatione nostra, quæ facta est in Asia, quoniam supra modum grauati sumus supra virtutem, ita vt tæderet nos etiam viuere.*

Omnes istæ anxietates, illam quæ ex ventriculi noxa fit, malitia superant. Id significauit Hippocrates 1. *prorrh.* damnans anxietates *citra vomitum*: adde tu, *& citra nauseam*, vt eum significes, qui citra ventriculi vitium, nempe vel ob cauma, vel ob orgasmum, vel ob malignitatem, vel ob imbecillitatem angitur.

CAP. XXII.

Febris lassitudinaria, seu πυρετὸς κοπώδης.

EST κόπος, id est, *lassitudo* quædam, quæ dicitur ἁπλῶς, id est, *vulgaris, seu manifesta*, vtpote quæ à manifestis & vulgo notis oritur causis: nempe ab immodicis laboribus, & exercitiis. Hæc febres ardentes inducit: quippe ex valida agitatione ichores intra ve-

nas

nas consistentes incęduntur, & igneas particulas cordi communicant, vnde rursus in vniuersum corpus flamma diffunditur. Curatio istarum febrium valida refrigerantia expostulat. Est alia, quæ κόπος αὐτόματος, id est, *lassitudo spontanea* dicitur, quia nempe non habet manifestam siue externam causam: quamuis enim vt illa ex negotio fit, sic ista ex otio, nihilominus negotium est causa proxima incendij, (nam inter causas aucti caloris reponitur motus) otium verò non est proxima causa, sed ex eo retinentur excrementa, aut augetur sanguis, & ex retentione excrementorum cacochymia, ex sanguine aucto plethora gignitur: ad vtrumque si defluxus in membra sequatur, corporis fit, omniúmque artuum conquassatorum molestia, ita vt nec quiescere quidem æger, sine fatigationis sensu, possit, nec moueri sine dolore. Itaque lassitudo ἁπλῶς, quæ ex præcedente labore fit, febres ardentes antecedit, quarum causa est labor immodicus. Sic contigit Sileno, quem *ex lassitudinibus, potationibus, & exercitationibus intempestiuis, ignis corripuit,*

puit, 1. *epid. sect.* 3. *ægr.* 2.

Lassitudo αὐτόματος, quæ sponte accidere videtur, potest futuri morbi signum esse, vnde Hippocrati 4 *aph.* 44. *lassitudines spontaneæ morbos prænuntiant.* Potest etiam symptoma esse epigenomenon: si enim augescente febre sanguis liquatus, artus occupet, tunc sensatio erit τονώδης, id est, *tensiua*; si ingrauescens cacochymia diffluat, ἑλκώδης, id est; *vlcerosa*; si verò vtraque causa adsit, φλεγμονώδης, id est, *phlegmonodes, seu inflammatoria.* Itaque humorum πλῆθος καὶ πάθος, id est, *multitudo, & motus*, cùm increscunt, adeò vt plus nimio molestent, febris euadit κοπώδης, id est, *lassitudinaria*, quam epigenomicè fieri dicam infrà, cùm de abscessibus loquar.

Cap. XXIII.

Febris sudorifica, seu πυρετὸς τυφώδης, καὶ ἑλώδης, καὶ ἱδρώδης.

Retinet apud authores Latinos Græcum nomen febris illa, quæ continuis sudoribus stipatur, & appel-

latur *typhodes* : sic dicta, quoniam sudantibus è toto corpore, simul cum sudore halitus siue fumus eleuatur: quippe fumus Græcè dicitur τύφος, & verbum τυφόω, fumum excito. Dicitur etiam ἑλώδης, id est, *palustris* : sudans enim quasi in palude immersus videtur. A recentioribus ἱδρώδης appellatur, à verbo ἱδρόω, quod est *sudo*, & ἱδρώς, id est, *sudor*. Porrò tribus modis sudor exit: *excretione, expressione, & partium solidarum exolutione : siquidem succum, quo nutriri debent, assimilare non possunt, eúmque sinunt effluere.* Hic vltimus, omnium est pessimus, neque confertim fit, potiúsque sudatiuncula appellatur, quàm sudor, & cum virium imbecillitate, lethalis est. Frigidus præsentem syncopen, calidus paulo pòst futuram indicat. Porrò de isto sudore, qui propter partium colliquationem fit, loqui videtur autor *prorrhet. lib.* 1. *sect.* 3. *text.* 34. dum ait : *Ex naribus exiguo cum sudore perfrigescentia, maligna, prauáque*, id est, *à profluuio sanguinis è naribus, paucus sudor cum refrigeratione, malum.* Cùm enim copioso sanguinis profluuio omnis humor euacuetur,

cuetur, si insuper adest sudor, non fit ab humore, sed à partium solidarum effluxu, per resolutionem propriæ substantiæ, & alimentarij succi, qui deductus discutitur, vt Galenus ait *in prognostico*; & hic est sudor, qui diaphoreticus dici solet.

Expressione educitur sudor, vel in magnis doloribus, vel in angoribus, cùm scilicet spiritus intus agitati incalescunt, rursúsque ad cutim transmittuntur, & iuxta ipsam condensantur. Hæc agitatio, & transmissio adeò efficax esse potest, vt sanguineum sudorem moueat: sudorem autem sanguineum, exeuntem per diapedesin, possibilem esse, affirmat Aristoteles *lib. 3. de hist. anim. c. 19.* & *3. de part. animal. cap. 5.* Assentitur Theophrastus in *libro de sudoribus*, ex sententia Monæ Medici. Hoc autem vt contingat, duo etiam contingere necessarium est, vnum, vt sanguis sit aquosus, ob cruditatem, quod *3. de hist. animal.* dixit Arist. alterum ex eodem *3. de partibus animal.* insignis pororum laxitas. Vtrumque Rhodiginus *lib. 5. cap. 2.* considerauit, nempe nimiam sanguinis aquositatem,

ob caloris debilitatem, à quo decoqui condenſaríque debuit, & meatuum corporis laxitatem. Autor verò *libri de vtilitate reſpirationis*, ad eandem meatuum dilatationem, à multo feruidóque ſpiritu factam, ſanguinem fluere poſſe ait, ſed reuerà non ſanguinem, ſed ſanguineum ichorem exire, dicendum cenſeo. Cardanus *de natura hominis*, ſudorem ſanguineum tum fieri poſſe admittit, cùm præ moleſtia animi, tenuis ſanguis igneo calore extenuatus, exprimitur. Poteſt quidem anxietudine ſanguis ad interna reuocari, reuocatus incaleſcere, caliditate attenuari, & ad externa detrudi. Dixi autem ſanguineum ſudorem, non ſudorem ſanguinis, tum quia ſanguis ob ſuam craſſitiem non habet tranſitum per meatus; tum etiam quia à natura tanquam theſaurus retinetur. Porrò cùm huiuſmodi ſudor tum ex parte materiæ, quæ excluditur, tum ex parte conſtitutionis corporis, præternaturalem ſtatum arguat, meritò in Chriſto Domino à Sanctis patribus, & Concilio Tridentino, ſupernaturali cauſæ attribuitur. Nam temperatiſſimum

eius

eius corpus, & ab omni causa morbifica prorsus alienum, non potuit hoc excreto, quod toto genere præter naturam erat, infestati, nisi maior vis eum mouisset. Dico, toto genere præter naturam: quia sanguinis fuit sudor adeò copiosus, vt guttæ illius in terram caderent.

Excretione sudores possunt esse optimi, vel saltem boni, iuxta conditiones, quas scripsit Hippocrates 3. *progn.* 26. *sudores optimi sunt per omnes morbos acutos, si per diem decretorium eueniant, & integrè sedent febrem. Boni etiam sunt, si ex toto corpore prodeant, faciántque vt ægri faciliùs ferant morbum.* Verùm hos proficui sudoris gradûs exactè in nostra *syntaxi prædictionum medicarum* percurrimus, præsens locus non plura in hanc rem expostulat.

Cap. XXIV.

Febris pemphigodes, seu πυρετὸς πεμφιγώδης.

HÆc etiam febris nomen Græcum apud Latinos retinet, & appel-

pellatur pemphigodes, quasi bullosa. Autor *definitionum medicarum: Pemphigodes*, inquit, *febris est, qua per caloris intensionem pustulas in ore, qua Græcis phlyctides dicuntur, generat.* Cæterùm cùm Hippocrates 6. *epid. sect.* 1. *text.* 29. diuisionem febrium in hunc modum constituat: *alia arida, alia salsuginosæ, alia pemphigodes, aspectu terribiles, alia tactui humecta.* Memini me in meo *de Meteoris Microcosmi lib.* 3. *c.* 10. ita hāc diuisionē accepisse, vt *pemphigodes* dicerem ephemeras, nempe quia attenuatione spirituum, qui in ephemeris excandescunt, corpus quodammodo inflatur: dicuntur enim pemphigodes, hoc est, inflatæ & tumidæ: & hanc interpretationē duobus neotericis, Ioanni Brauo, & Christophoro à Vega acceptam refero. Vallesius pemphigodes, id est, ampullosas febres vocat, quæ cum ampullis eueniunt, quales sunt febres variolarum. Porrò *pemphigodes* Galenus 6. *epid. citato* existimat esse febres pestilentes cum tuberculis, vt in pestilentia quæ tempore Thucydidis fuit peruagata. Constat hoc, eiusdem Thucydidis testimonio, dicentis, *exterius*

rius quidem tangenti, corpus neque valde calidum erat, neque viride, sed subrubrum, liuidum, tuberculis exiguis & vlceribus efflorescens. An verò hæc sit febris, quam recentiores purpuram dicunt, habes inferiùs *lib. 3. cap. 19.*

Hæc autem omnia, quæ dicta remanent, non varias constituunt febrium species, aut differentias, sed vnam & eandem specie febrem variis induunt superuenientibus symptomatibus. Nam aliàs si varias febres multiplicarem, in Gnidiæ scholæ errorem inciderem, quem Hippocrates *initio operis de victu acutorum* in hunc modum reprehendit. *At numeros morborum singulorum planè declarare studentes, non rectè scripserunt. Neque enim quis facilè numeret, si quis ex eo ægrotantium morbum æstimet, quòd ab altero re quadam differat, neque eundem esse morbum reputet, nisi eodem nomine nuncupetur.*

CAPVT XXV.

Hydropis epigenomena.

INfinitum propemodum esset, omnia morborũ epigenomena percurrere; omnia rursus omittere nimis esset incuriosum: propterea ad ea, quæ in febribus consideraui, aliqua adiungam, quæ in hydrope considerationem merentur; quippe ex huiusmodi exemplis non parum vtilis acquiritur doctrinæ. Porrò inter hydropis epigenomena, præcipuum statuo *sitim*, quæ in hoc morbo iam aucto ægrum solet vexare. Hanc duas arbitror habere causas, vna est aquei humoris abundantis, & per moram adustionem patientis salsedo, non aliter ac in mari: est enim hydropicorum venter, abyssus multâ aquâ redundans, vbi calor putrefaciens, & adurens exhalationes attollit, propter quas & in stomacho sitis, & in ore tum siccitas, tum amaritudo percipitur. Altera omnimoda exsiccatio, & ariditas, quæ hydropicis accidit, consumptis omnino carnibus, & humido primigenio,

nio, & corpore atrophia laborante.

Alterum est *tussis*, & hæc potest esse symptoma, aliquando epiphænomenon, hoc est, mox apparens, aliquando superueniens, seu epigenomenon. Et hoc ab Hippocrate possumus addiscere: nam quando 2. *progn.* 3. ait, tusses fieri in hydropicis, statim adiungit *à iecore*, significans tussim in his, qui à iecore hydropem patiuntur, duntaxat esse signum mox apparens; quemadmodum mox apparens est eadem tussis in iecoris inflammatione. Nam Galenus 5. *loc. affect. cap.* 7. inter signa inflammati iecoris tussim reponit: & idem cùm inuisit Siculum Medicum, quem cognouit iecoris inflammatione laborare, nihil narranti dixit tussim eum vexare ex interuallis, exiguam, aridam, & quâ nihil spuebat. Sed cur iecore inflammato adest tussis? nempe quia in hac inflammatione, propter auctam iecoris molem, fit diaphragmatis compressio, ac notharum costarum compassio, tussísque excitatur eo modo, quo excitari solet per affectus partium respirationi inseruientium; nihil tamen notatu dignum expuitur, quo-

niam causa comprimens est extra thoracem, & pulmonem. Dices forsan, non in omni hepatis inflammatione tussim contingere: nam ea quæ in parte sima iecoris fit, non communicatur membris respirationi seruientibus, quibus adiacet gibba pars, vt sima ventriculo, & intestinis. Hanc dubitationem tibi soluit Galenus: quippe magis quidem tussim excitabunt inflammationes gibbæ, quàm simæ, cæterùm in vtraque tussis aderit, cùm totius iecoris partes inter se continuentur, & affectus vnius in altera sentiatur. Hæc igitur tussis in hydrope, quæ est symptoma mox adueniens, neque mala est, neque bona.

Verùm si tussim hydropis, quæ epigenomenon symptoma est, consideres, hanc prauam esse dixit Hippocrates 6. aph. 31. *Aquâ inter cutem laborantibus, tussis superueniens, malum.* Vbi Galenus: *superuenire passionibus alias passiones & casus, prisci Medici dicere consueuerunt, quæcunque ipsius passionis adaucta ratione contingere solent.* Itaque tussis adauctum hydropem significat: contingit namque, quando iam aquosa humiditas asperas occupat arterias, quo

tempore

tempore non longè abest suffocatio. Vnde 7. *aph.* 47. *Aquâ intercutem laborans, si à tussi habeatur, desperatus est.*

Ob eandem etiam augmenti rationem, hydropici difficultate respirationis premũtur, coarctato scilicet, vt Galenus ait, *de vtilit. respir. cap.* 4. & *de diffic. respir. lib.* 1. *cap.* 11. septo transuerso, quando tumor ventris adeò increuit, vt septum transuersum opprimat, vel etiam, quoniam aqua in respirationis membra redundans, spatiúmque thoracis occupans, non sinit respirationis officio instrumenta respiratoria liberè fungi.

Inter hydropis epigenomena recensetur etiam epilepsia, recensetur & alui fluxus, quod in *Coacis* reperies. De alui fluxu nihil dicam; nam per epigenesin factus, extremæ debilitatis est tum soboles, tum parens, & velut phthisicis in extremis laborantibus, ita hydropicis iam sub finem mali, alui fluor, & signum, & causa est appropinquantis interitus; licèt si non sit per epigenesin, possit aliquando, effusâ per aluum aquâ, sanationis causa esse,

quod Hippocrates non ſiluit in *Coacis*, & in *aphoriſmis*, 6. *aph.* 19. & 7. *aph.* 15.

Epilepſia etiam flatuoſam materiam per dorſum in cerebrum irruentem demonſtrat, præcipuè in anaſarca, in aliis verò hydropis ſpeciebus, magis eſt vaporum mordacium è putrida materia exhalantium ſignum: hos vapores vt expellat cerebrum, concutitur, & epilepticos crebrò excitat inſultus, quo nil deterius homini languore virium laboranti accidere poteſt. Porrò epilepſia iſta eſt epigeneſis non ſolùm cauſæ hydropem facientis, ſed ipſius hydropis. Cauſa propagatur in epilepſia, vti quando ſanguis retinetur in mulieribus, quibus menſtrua ceſſant; & in omnibus qui hæmorrhoïdas habuerunt, & non ampliùs habent: tunc enim ſanguis iſte refluens non ſolùm recurrit ad iecur, & hydropem inducit, ſed propagatur ad caput, & excitat epilepſiam. Hydrops propagatur, aucto tum intemperamento frigido, tum aquoſâ, flatulentia, pituitoſáve materia, cuius augmentum capiti accedens noxam infert.

Aliud epigenomenon hydropis eſt, vrinæ

vrinæ paucitas, quæ in omni hydropis ſpecie damnatur, tam generali quadam ratione, quàm vnicuique peculiari. Generalis ratio eſt, quia ſemper ſtranguria eſt malum, homini verò grauiter ex graui affectu laboranti longè deterius. Singulares rationes vnicuique ſpeciei accommodantur. In aſcite minuitur vrina, tranſeunte ſero in abdomen: quòd ſi ita auctum iam ſit malum, vt vix ſuppetat ſerum, quod per vrinam deducatur, deficit ferè vrina, & ſtillatim fluens perterret ægrotantem & Medicum. In anaſarca ſerum ſimul cum multa pituita ſanguini ſe inſinuans, in venis ſtabulatur, & vias vrinarias deſerit; tantò autem magis deſerit, quantò magis malum pergit in perniciem. In tympanite grauiùs vrina ſiſtitur: quippe nec ſeroſitas in abdomen, nec in venas abit, ſed vel dolor, qui grauiſſimus in tympanite eſſe ſolet, impedit meiendi actionem, vel flatulenta materia meatûs obturans tranſitum ad vrinarias vias occupat. Similiter ſi hydropico febrienti pauca illa, quam mingit, vrina, ſit veluti ſubiugalium, quid niſi putredinem, & ebullitio

ebullitionem, & malum in venoſum genus propagatum poteſt ſignificare? ſin rubra, imbecillam prorſus ſequeſtrantem facultatem in renibus eſſe arguit; ſin verſicolor, ita vt ſuprà rubeat, infrà liueſcat, aut nigreſcat, oſtendit variam materiæ naturam, bilis aduſtionem, & partium *νέκρωσιν*, *mortificationem.*

STEPHANI

STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LVSITANI,

QVÆ EX QVIBVS.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT I.

Variæ metaptoſeos ſpecies.

AB epigeneſi ad metaptoſin libet ſermonem mutare. Metaptoſeos plures ſunt differentiæ, pro varietate cauſarum, quarum plurimas nunc percurram.

Prima, fit vno eodémque humore varias ſubeunte conditiones; vt ſi ſanguis

guis in cerebri vasis modò excalfactus splendescat, & desipientias cum risu concitet, modò vlteriore adustione obscuretur, ac nigrescat, ex quo metus, & mœror accidunt. Iccircò, *Dealcis vxor plorabat, & rursus ridebat*, 3. *epid. sect.* 3. *ægr.* 15.

Altera, diuersis humoribus vnum, eundémq; locum occupantibus. Nonne si in cerebro pituita adsit, cuius narcotica vis somnos conciliat, adsit & bilis, cuius aculeus vigilare facit, oritur affectus ex somno, & vigilia compositus, quem propterea coma vigil appellant Medici? Aut si vterque humor putrescat, fit τυφομανίη, *typhomania*, nempe lethargus & phrenesis simul? Similiter ex Galeni relatu 1. *prorrhet. sect.* 1. *com.* 27. *Audacissimi interdum tempore aliquo visi desipientes, pòst timidi, & perterriti videntur*: nempe *audacissimi*, propter aliquod biliosi humoris prædominium in corde, quod huic visceri calorem auget, quippe in *arte medica*, *cap.* 29. calidi cordis signum est audacia. Dixi *aliquod prædominium*: nam multum, magis furorem, quàm audaciam parturire potest. Red-

duntur

duntur poſtea *timidi*, *&* *perterriti*, ob frigidi humoris in eodem viſcere, nimirum in corde, præſentiam: obſtat namque audaciæ, quoties *Frigidus obſtiterit circum præcordia ſanguis.* Iam ergo liquet, diuerſis humoribus in eodem loco viciſſim dominantibus, fieri metaptoſin.

Tertia, diuerſis humoribus in diuerſis locis, modò vno, modò alio præualente. Vt in prænominata *Dealcis vxore ſermones multi*, *&* *rurſus quieſcebat muta*: vtrumque ex delirio, ſed *loquacitas*, ob vapores ſanguinis titillantes leniter in faucibus; *taciturnitas*, ob vapores melancholicos mentis ſedem obſcurantes: neque enim erat aphona, vt poſſet eius ſilentium ad loquendi impotentiam referri: nam ſtatim poſtea loquebatur liberè & ſine noxa.

Quarta, ex cauſarum intenſione, & remiſſione. Ex remiſſione accidit, vt delirus nonnunquam ſiti non prematur: quia ſcilicet non eſt valde magna. Ex intenſione, nam ſi eadem ſitis in eodem augeatur, quantumuis delirus ſit, potum appetit, & ingens poculum exhaurit. Idem etiam de mictione: Etenim

nim pauca vrina non affert mingendi cupiditatem, multa vrget, & reuocat in memoriam mingendi opus. Sic etiam phlogosis duntaxat, in cerebro efficit simplex delirium; si verò intendatur, vt ex phlogosi phlegmone fiat, iam erit phrenesis. Rursus si ventriculi frigiditas magna sit, stupore illius partis oborto, inappetentia efficitur; sin parua, corrugans oris ventriculi tunicas, appetentiam auget.

Quinta, ex facultatis in aliquo membro extinctione, vt sitis παράλογος, nempe si æger mente constet, & calor, linguæque ariditas sitibundum esse proclament, ille tamen qui priùs siti cruciabatur, manente eâdem ariditate, cum calore, non ampliùs sitiat, mutatio est praua: propterea dictum arbitror 1. *prorrh. sect.* 2. *text.* 22. *sitis quæ non ex ratione in acutis morbis soluitur, mala est.* Soluitur etiam appetentia, quando extincta est in ore ventriculi, quasi sphacelato, appetendi facultas, & inappetentia tanta est, vt dicat Gal. *plurimi verò mori, quàm comedere quicquam, prius duxerunt.*

Sexta est ob malignitatem, cui Galenus

lenus tribuit celerem in vtramque partem mutationem: inquit enim 1. *prorrh. sect.* 2. *com.* 8. *In summè malignis permutatio istorum* (nempe caloris, & frigoris) *horâ vnâ ad contraria efficitur, interdum quidem, vt tanquam hyeme frigescant, interdum verò tanquam æstate calescant.* Atque malignitati tribuit quod Hippocrates dixit, *summa corporis partes si celeriter in vtramque conditionem permutentur, malum.*

Septima, ob irrequietam humoris conditionem, cùm suapte naturâ habet orgasmum, & à Medicis materia turgens appellatur, quæ *stare loco nescit*, sed nunc ad partem vertitur, in quâ nos perterret; nunc ad aliam, in quâ nos consolatur.

Octaua, quando causa licèt non sit suapte naturâ turgens, tamen est adhuc instabilis, sed paulo pòst firmabitur, & hinc oritur metaptosis, vnde Galenus 1. *prorrh. sect.* 2. *com.* 17. *cùm affectio fit, & nondum facta est, breuiter separatâ efficiente ipsam causâ sedatur.*

Nona, propter naturæ conatum, & contentionem, quâ materia morbum faciens si non expellitur, at saltem à quibusdam

quibusdam partibus recedere cogitur, ad quas, propter naturæ impotentiam, denuò reuertens interimit. Et hæc est vna ex causis, cur multoties moribundi videantur meliùs habere, sed intra paucas horas gaudium conuertitur in mœrorem.

Cap. II.

De metastasi.

Inter has metaptoseos species, tres vltimæ, nempe, propter materiæ orgasmum, propter causam nondum firmatam, propter naturæ conatum, species infimę sunt, & continentur sub vna subalterna, quæ μετάςασις, *metastasis*, hoc est, *humoris transmissio* appellatur. Hæc autem non solùm per vias manifestas, sed per occultas etiam fit. Nam præter vias vnicuique cognitas, per quas, quicquid fluxibile in corpore est, fertur, sunt aliæ incognitæ, quarum nos contemplatio in admirationem deducit. Porrò metastasis vel à natura fit, vel à morbo, seu meliùs à causa morbi, vel ab vtroque: & sic comprehendimus

hendimus omnes tres metaſtaſeos ſpecies initio adductas. Nam quæ fit propter materiæ orgaſmum, fit à ſola cauſa morbi; quæ verò propter naturæ conatum, à natura; quæ ob inſtabilitatem materiæ, ab vtroque: neque enim ſufficeret inſtabilitas humoris, niſi illum natura detruderet; neque ita facilè à natura detruderetur, niſi inſtabilis eſſet.

Cap. III.

De viis occultis.

CVm metaſtaſin per vias incognitas fieri audis, intelligito incognita nobis, naturæ verò, quæ licèt cognitione non vtatur, dirigitur tamen à cognoſcente, cognitas. Vnde Hippocrates *6. epid. ſect. 5. text. 2. Adinuenit*, inquit, *natura ſibi ipſi acceſſus, non cogitatione, partim quidem vt conniuere, partim verò & lingua ſubminiſtrat, & id genus alia quæque. Inerudita natura, & indocta, quæ opus ſunt, efficit.* Galenus *acceſſus* exponit *vias, aut impetus ad agendum*, vt ſcilicet natura οὐκ ἐκ διανοίας

ſiue

ſine conſilio, vel *indocta*, in eas actiones feratur, quibus exequendis accommodata habet inſtrumenta. Hoc argumentum latiſſimè proſequitur, 1. *de vſu part. cap.* 3. & eiuſdem operis *lib.* 15. *cap.* 7. & 6. *de loc. affect. cap.* 6. Cæterùm Hippocrates, apud quem priùs νούσων φύσιες ἰητροί, *natura morborum medicatrix* dicitur, adiungit paulo pòſt, ἀνευρίσκει ἡ φύσις αὐτῇ τὰς ἐφόδους, *adinuenit natura ſibiipſi acceſſus*, nempe *vias*. Quapropter non ſolùm loqui videtur de admirandis actionibus, ſed de viis etiam per quas natura iſta *medicatrix* metaſtaſin humorum efficiens, morbis medetur. Conſtat hoc, quia vtriuſque rei exemplis vtitur. Etenim palpebrarum motus, linguæ in proferendis vocabulis agilitas, ad actiones pertinent, quas φύσιες πάντων, vel φύσιες ζώων ἀδίδακτοι, *natura omnium, ſeu naturæ animalium, ſine doctore* edunt. Quis enim docuit puerum recèns natum nictare? quis clamare? & poſtea, cùm loqui incipit, verba proferre tanto mouentis ſe linguæ artificio, vt ſi in vnaquaque litera proferenda, quid præſtandum ſit, ab alio addiſceret, vix to-

tum

rum vitæ tempus huic operi sufficeret. Atque hæc de actionibus, de quibus pro coronide adiungit, ἀπαίδευτος ἡ φύσις ἐοῦσα, καὶ οὐ μαθοῦσα τὰ δέοντα ποιέει, *inerudita natura, & sine doctore, quæ conueniunt, facit.*

Alia verò exempla spectant ad vias, per quas diximus fieri metastasin, vt sunt *lachrymæ, narium humor, sternutamenta, auris sordes, oris saliuæ reiectio, spiritus introitus, exitus, oscitatio, tussis, singultus.* Adde alias occultiores. Nam mesaraica vasa, ad intestinorum cauitatem non dehiscunt, sed per latera sugendo, puriorem chyli partem trahunt. A dextro ad sinistrum cordis ventriculum cæcis ductibus sanguis permeat. Vrina quoque per solidorum renum carnem excolatur. Sanguis à porta ad cauam per hepar. Animalis spiritus per cerebri substantiam. Semen per testium molem. Menstruus sanguis ad vbera conscendit, non vasorum ductu, sed per interstitia, transcolatione partium. Ossa aluntur, & membra maximâ ex parte, per insensiles meatûs nutrimentum alliciunt. Nullus tamen viarum ductus maiore admiratione est

dignus

dignus, quàm ille, quo potentia genetatrix, potiùs formatrix, similitudinem quandam & vestigium parentum ad testes & vasa seminaria deducit, de quo nunc nòn est agendi locus.

CAP. IV.

De transfusione.

INter vias occultas recensendæ sunt eæ, quas *μεταχώρησις transfusio* suscipit. Eius autem quæ inter arterias, & venas fit, meminit Galenus *libell. de plenitud. cap.* 11. quam tamen crassis, & glutinosis humoribus intra venas collectis, non facilem esse ait: at etiam ex istis partem aliquam calore attenuatam transfluere, est consentaneum. Connexionis præterea neruorum cum venis, arteriisque magnam vim esse profitetur, 2. *caus. puls. cap.* 12. pulsuum namque quos conuulsorios appellat, causam reddens, inquit: *Singulis arteriis fibræ à neruis deductæ, in societatem veniunt, per quas se sinunt mutuò in consensum venire, non modò actionum, sed affectuum etiam.* Multis aliis in locis eandem

eandem connexionem admittit, vt conſpirationem omnium ab Hippocrate, in *libello de alimento*, decantatam, ad eam referat, quam meliùs ad vnius animæ miniſterium referret. Illum aliquis excuſaret, quia animæ vnitatem, quòd ſcilicet tota ſit in toto, & tota in qualibet parte, non agnouerit. Ita eſto, agnouit tamen temperamentum totius, quod animam eſſe exiſtimauit; temperamentum autem, & calidum innatum, & natura apud eum, immò & apud Hippocratem, vna eadémque res ſunt: Nam 2.*aph.*32. ex multis naturæ ſignificatis accipit illud, quo Hippocrates multis in locis vſus eſt, & in toto *libro de natura hominis*, in quo eam quæ ex primis elementis fit, temperaturam, naturam nominat: quàm etiam calorem naturalem frequenter appellat, vt *lib. de maraſmo, cap. 3. de trem. rigor. & palpit. cap. 6. lib. 4. aphor. 37. & eiuſdem operis lib. 5. aph.* 22. Igitur cùm temperamentum, ſiue calidum innatum, ſiue natura, vices animæ gerat, vt pro anima, ab iis qui animæ ſubſtantiam ignorant, habeatur, cúmque per vniuerſum corpus indiuiſum

dispergatur, ei potiùs quàm membrorum connexioni, omnium conspiratio tribuenda est. Iuxta hoc totius temperamentum, dictum arbitror ab Hippocrate in *lib. de locis in homine*: *Corpus porrò ipsum sibiipsi idem, ac simile est, & ex iisdem compositum est.*

Cæterùm membrorum colligantiam constanter agnouit Galenus, nec est cur à Bartholomæo Eustachio reus contradictionis apud iudices constituatur, quòd *lib.* 1. *de placit. cap.* 6. & *cap.* 7. aliter sentire videatur, dum Aristotelem, & Praxagoram refellit, qui vasorum mixtionem statuebant. Non meruit quidē istam accusationem, in qua neotericus iste, non intellecta tanti auctoris mente, magnas turbas excitauit. Existimabant tum Aristoteles, tum Praxagoras neruos arteriis esse continuos, hoc est, neruos esse arterias factas exiles, cùm ad eam angustiam peruenerint, vt tunicis inter se coëuntibus cauitatem amittant, & proinde in neruum euadant, quod Galenus reprehendit; sed hoc quid commune habet cum textura facta ex omnibus vasis, quam libens admittit? Meliori iure

Andreas

Andreas Laurent. (vt obiter dicam) *lib.4. quæſt.8.* reprehendit Reuſnerum, qui *exercitatione prima*, exiſtimat neruum nihil aliud eſſe, quàm extremitatem aortæ, quæ quatenus in caput aſcendit, in cerebro naturam nerui induit: vnde nerui, cerebri propagines dicuntur; quatenus verò ad crura, & articulos corporis diſpergitur, ſuis aliis propaginibus, pelliculas oſſium, tendones, & ligamenta conſtituit, quæ omnia neruoſæ ſubſtantiæ deprehenduntur.

Forſitan aliquis conſiderans commutationes affectuum ab arteriis in venas, à venis in neruos, & viciſſim à neruis in venas, & arterias, arbitrabitur hæc non poſſe fieri, niſi vera ſit Ariſtotelis, & Praxagoræ opinio: verumtamen vt hæc accidant, non neceſſe eſt vt neruus cum venis, & arteriis ſit vna, & eadem res penitus continua, ſed ſufficit contiguam eſſe.

CAP. V.

De affectuum transpositione à venis ad arterias, ab arteriis ad venas.

QVoniam transfusionem humorum, halituum, spirituúmque possibilem esse constat, possibile quoque sit oportet, vt affectûs etiam, qui ex his fiunt, transponantur. Inprimis venæ arteriis communicant plethoram, dicente Galeno *lib. de plenitud. cap.* 11. *Plurimùm venæ cum arteriis, ob eorum vasorum mutuam confluentiam, quam sæpe alibi ostendimus, plethorâ simul arripiuntur.* Communicant etiam putridos vapores : quare in bubonibus, & inflammationibus, arteriæ à venis putridos accipiunt vapores, quos cordi offerunt ; iccircò *ex bubonibus febres ortæ, malæ.*

Arteriæ venis vices rependunt: Nonne si per arteriarum cauitates conspurcati ferantur spiritûs, his venalis etiam sanguis conspurcatur ? qui si veneni naturam sapiant, sanguinem

liuescere

liuescere faciunt, & ex sanguine in corpore apparent liuores. Calefacto præterea sanguine arteriali, (calefit enim priùs) calor ad venas extenditur, vnde phlegmonæ oriuntur.

CAP. VI.

Ex arteriis, & venis ad neruos, & ex neruis ad arterias ac venas, affectus transfertur.

VEnarum quoque arteriarúmque transfluxum ad neruos, & neruorum ad arterias, & venas, agnoscit Galenus 6. *aph.* 26. his verbis: *Sicuti igitur in febre ardente translatio, sic in omni aliâ febre potest fieri, & omnino ex arteriis, & venis ad neruos transfluxus humorum, sicut rursus ex neruis ad has.* Et quidem ex arteriis, & venis fit transfluxio, Hippocratis decreto in eodem aphorismo: *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio soluuntur.* Febrium namque causa in venoso, arteriosóque genere existens, quando ad neruos transfertur, primùm tremores facit; compatiente verò principio,

etiam deliria. An propter istam metastasin febres soluantur, & quæ sit huius aphorismi veritas, inferiùs *cap. 9.* innotescet.

Itē ex venis, & arteriis metastasis fit ad neruos, per conuulsionem: licèt eadem conuulsio, si aliquas habeat conditiones, per metastasin facta judicetur, & febrem soluat. Sententia hæc est: *Conuulsio in febre mota, febrem soluit eâdem die, vel alterâ, vel certè tertiâ. Quòd si tempus transgrediatur, quo ab initio tenebat, nec acquiescat, malum.* Nempe primis diebus eueniens, non ab inanitione, sed à repletione fit, transfusâ materiâ febrili à venis ad neruos; & postea, conuulsiuæ motionis vi, à neruis expulsa. Quòd si hæc expulsio non sequatur, sed conuulsiui motus perseuerent, malum est: quippe fixa materia, nec excussa, doloribus, & vitalium actionum interceptione, miserum ægrotantem fatigat.

Verùm si contingat, vt vel ex repletione, aut morsu, conuulsio fiat, etiam post tertium febris diem, semper erit vtilis, dummodò non perseueret; nam semper potest materiam transmutare, & febrem

& febrem ſoluere. Hoc in variolis, & morbillis, & interdum ante ſudorem obſeruatur:nam ſubſilire videtur æger, & vel in ipſa exanthematum apparitione, vel paulo antè, conuulſiones conſpiciuntur,ſiue ſit in principio,ſiue poſtea in diebus criticis,ſeptimo,nono, & ſequentibus.

Ex neruis ad venas tranſmiſſio fit, quoties conuulſio,accedéte menſtruorum euacuatione, ſanatur, vt *mulieri moroſæ* contigit,3. *epid. ſect.* 3. *ægrot.* 11. Eâdem ratione conuulſiones non ſolùm diarrhœa, ſed perirrhœa etiam ſanat. Diarrhœa quidem, tranſmiſsâ materiâ à neruis,non ad venas, ſed ad aluum & inteſtina, per vias naturæ cognitas. Perirrhœa, confluxu vrinæ craſſæ,albæ,mucoſæ,à neruis ad venas, à venis ad vrinarios meatus. Sic *Pythion* 3.*epid. ſect.* 1.*ægrot.* 1. tremiſcens, per vrinarum euacuationem, euaſit: Vnde *in Coacis : Conuulſiones copioſo mictu vrinarum craſſarum albicantium, ſanantur.* Neque verò incredibilis eſt metaſtaſis à neruis ad vaſa, quando etiam ab oſſibus facta conſpicitur, vt Hippocrates eſt teſtis,2.*epid.ſect.* 1.

Cap. VII.

Res præter naturam, tam intra nos genitas, quàm forinsecùs aduenientes, occulto quodam impulsu certa loca petere.

VEnena, quæ nobis innaſcuntur, (vt Galenus 3. *de loc. affect. cap.* 7. & 6. *eiuſdem oper. cap.* 5. & experientia ſatis teſtantur) in locis, in quibus fuerunt genita, quaſi connaturalia illis, nihil nocent: poſtea, ſi quauis occaſione agitentur, vel cor petunt, & occidunt; vel cerebrum, & epilepticos inſultûs excitant. Vidi iuuenem ſubitò mortuum, cui ſtatim poſt obitum, extrà in regione cordis, ſyderatio, ſeu liuor ingentis latitudinis apparuit, intus (vt per αὐτοψίαν videre licuit,) nihil mali fuit repertum. Hoc quid aliud fuit, quàm venenata quædam aura per longum tempus deliteſcens, quæ tunc demum vel ſyderum influxu, vel quauis alteratione, quaſi è ſomno ſuſcitata, nullum ſui veſtigium in parte in qua fuit orta, & conſeruata relinquens, proprio,

proprio, ſed occulto impetu, cor vitæ fontem, cum quo venena inimicitias gerunt, eſt aggreſſa? Sed non ſolùm cor, verùm & cerebrum huiuſmodi hoſtilibus incurſionibus eſt obnoxium. In memoriam reuoca hiſtorias à Galeno narratas 3. *loc. affect. cap.* 7. duorum adoleſcentium, quibus aura ad caput aſcendebat, quam ſentiebant *ex tibia initium capere: mox illinc rectà aſcendere per femur, & ſuperpoſita illi ilia, ac per latera ad ceruicem, donec ad caput perueniret, quod cùm primùm tangeret, ipſi haudquaquam ſibi conſtabant.* Eſſe autem, ex Pelopis ſententia, poterat, vel qualitas aliqua, quæ alteratis per continuationem partibus, hoc iter peragrabat; vel ſubſtantia tenuis, quæ in ſingulis ſubiectarum partium recipiebatur, mox ex illis, in alias continuas, atque iterum ex iis, quæ afficiuntur in alias, cúmque ad dominantium partium aliquam peruenerit, tum homini mortis inſtat periculum. Simile in phalangiorum, & animalium quorumcunque venenatorum ictibus, accidere conſpicitur. Non leuem tamen infert dubitationem, cur fortiùs no-

xam suam membro principi, cui maior resistendi vis adest, inferre soleat? cui dubitationi dupliciter respondeo: vel fortem cordis v.g. resistentiam augere per antiperistasin veneni energiam; vel noxam cordi illatam, exigua licèt sit, magis in illo viscere, in quo vita consistit, quàm in aliis ignobilibus, sentiri.

Non est tamen negandum, medicamenta quædam esse, quæ peculiaria membra iuuant, & venena quæ aliqua priuatim inuadunt: sic Galenus *de theriaca ad Pison.cap.* 4. & 1.*de compos. medicam.sec.gen.cap.*1. & 13.*meth.Non nulla*, inquit, *deprehendimus, quibus proprium est partem aliquam corporis solùm offendere: quemadmodum lepus marinus pulmonem, canthàrides vesicam exulcerant. Et rursus quibus insitum est, vt aliquod membrum ex omnibus iuuent, vnde malè affectum iecur eupatorium herba plerumque valde confirmauit, & vnguentaria glans lieni pluries contulit, & saxifraga; atque betonica renibus multoties profuit.* Risum mihi mouet Vallesius, qui damnant quosdam, qui ad occultam proprietatem (quam sacram barba-

barbarorum anchoram appellat) confugiunt, deinde ſuam interponens ſententiam, ait, cauſam huius rei eſſe analogiam, quæ eſt inter medicamenta,& membra; & hanc analogiam eſſe ſimilitudinem, quam ſimilitudinem ſe ignorare fatetur, vtpote quæ ſenſibus non eſt conſpicua. At ſimilitudo, quam quid ſit ignorat, nonne cauſa occulta eſt? Libenter aſſentior Scaligero,*exercitat.*218.*numer*.8. ſic dicenti: *Ad manifeſtas omnia deducere qualitates, ſumma impudentia eſt; id quod Alexandréi multi,& fruſtra conati ſunt, & temerè inſtituerunt.* Tunc poſt pauca addit: *Iidem iſti, qui ſeſe putant cuncta ad certas cauſas reducere manifeſtas,tandem huc deuoluuntur,vt dicant, in oculis hominis, & catoblepæ eſſe principia contraria.* Sic ille. Itaque recentiores aliqui in externa rerum ſignatura inuenerunt analogiam iſtam cum membris noſtri corporis. Legendus eſt in hanc rem,ingenioſiſſimus tractatus Oſvualdi Crollij, adiunctus ſuæ *Baſilicæ chymicæ.*

Cap. VIII.

A corpore ad animam, & ab anima ad corpus fit metastasis.

QVamuis Galen. in animæ cognitione multoties hæsitauerit, quod non semel fatetur; quamuis rursus 3. *loc. affect. cap.* 7. animam dicat, *aut esse temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarum temperamento alterari*, & *lib. quòd animi mores, cap.* 3. *Animæ substantiam quodammodo temperiem esse quatuor si qualitatum dicere velis, humiditatis, siccitatis, frigoris, & caloris, si corporum humidi, calidi, frigidi, ac sicci.* In quo ab Hippocrate non dissentit, qui calidum innatum, naturam, temperamentum, & animam solet inter se confundere. Nihilominus, tam Galenus, quàm Hippocrates aliquando altiùs sapere videntur. Galenus quidem: nam præterquam quòd *lib. an animal sit quod in vtero est, cap.* 4. *Animam è cælesti choro delapsam, scientiam suscipere*, ait, *& semper viam quæ ad simile ducit, sequi: quare terram quidem superat,*

ab erroribus aquæ se auertit, transcendit aërem, fit igne superior, & cælestem diuinitatem attingit, sæpéque trans cælestem locum intuetur, rerum omnium Domino assistit, superas res circumlabitur, sæpe occurrit iis, quibuscum commune genus habet, nouit vnde sit, quamuis in corpore sit, ipsúmque rerum omnium patrem vniuersis rebus inesse, his, in quibus ab illo locata est, vtens oculis. Præterquam quòd etiam Platonis, & Aristotelis placita, circa animæ cognitionem, non reiicit, & animam substantiam, non accidens esse fatetur, *lib. quòd animi mores, cap.* 4. Quæ omnia coniecturam faciunt, illum, cùm animam à temperamento non separat, medicè tantùm loqui. Vnum mihi persuadet, hunc Philosophum, & Medicum celeberrimum altius quidpiam ac diuinius de anima existimâsse, nempe quia 9. *de placit. cap.* 9. Postquàm probabile esse dixit, id quod Plato de anima asseruit, adiungens ait: *Quocirca ego temerè de his pronunciare non audebo*: & *lib.* 6. *eiusdem operis, cap.* 9. *Conuenientius est Medico de corporis instrumentis, Philosopho, de anima facultatibus doctrinam instituere*:

&

& 6.*epid. sect.* 5. *com.* 5. *Medicis quoque superuacuam de animæ substantia notitiam esse arbitror.* Ex quibus sic conficio argumentationem. Si existimas, ô Galene! animam esse temperamentum, si temperamenti cognitionem apprimè te tenere, & ad Medicum pertinere, tam certum est, quàm quod certissimum, cur de animæ substantia nihil statuere audes? cur hanc doctrinam à Medico alienam esse ais? Profectò nihil magis Medico conuenit, quàm agere de temperamento; nihil tibi magis est cognitum, quàm temperamentum, de quo, & seorsim, in peculiari opere, & sparsim, in singulis operibus, multa pulchra, & erudita nos doces. Quare quamuis, dum animam temperamentum esse dicis, non vltra medicos fines velis transcendere, & ea quæ ad medicos vsus spectant, duntaxat tractare, cùm tamen seriò rem tantam consideras, eius pondere oppressus nihil pronunciare audes. Tandem, cùm hanc considerationem Philosopho relinquas, & optimum Medicum Philosophum esse, in peculiari opusculo prædices, iam tibi optimo Medico, &

subinde

ſubinde Philoſopho non inconuenit, de animæ ſubſtantia diſputare. Fateor diſputationem hanc magno indigere otio, quo fortaſſis, in medicina facienda occupatus, carebas.

Ad Hippocratem accedo, cum breuiloquo breuiloquus: neque enim loca adducam, in quibus modò naturæ, modò calidi innati, modò etiam animæ nomine vnam, & eandem rem ſignificat. Hoc cum medica auſcultatione congruere eſt arbitratus. Attamen, vbi philoſophicè magis loquutus, extulit ſe ſupra ſe, diuinius quidpiam de anima ſe in animo concepiſſe oſtendit. Sit mihi ſententia vna, & optima, inſtar multarum, in *libello de diæta. Anima quidem ſemper ſimilis, & in maiore, & in minore: non enim alteratur, neque per naturam, neque per neceſſitatem; corpus autem nunquam idem in vllo aliquo eſt, neque ſecundum naturam, neque ex neceſſitate.* Quid clarius dici potuit, vt animæ immortalitas inſinuetur? Nam cùm generatio, & corruptio ſine alteratione fieri nequeant, ſi alterabilis non eſt, nec generabilis eſt, nec corruptibilis, ſed immortalis.

Cæterùm,

Cæterùm, si alterabilem esse negamus, quomodo morbos pati dicemus? vt possit scilicet fieri ab anima ad corpus, & à corpore ad animam morborum vel metastasis, vel epigenesis. Consulito Aristotelem, ipse te manuducet: quippe præter alia 1. *de animâ, text.* 65. sic ait: *Quare senectus non est, quia anima quicquam est passa, sed quia id in quo est, aliquid passum est.* Quod igitur Aristoteles de senectute, idem de omni ægritudine dicendum est; senectus namque ipsa est morbus.

Quemadmodum enim aqua, vel quiuis alius liquor, propriæ figuræ incapax est, dicitur tamen eam habere, iuxta figuram vasis, in quo includitur: ita anima alterationis incapax, alterari dicitur, iuxta corporis, in quo est, alterationem. Ne tamen in exemplo omnimodam veritatem quæras, & existimes me existimare, animam in corpore, velut aquam in vase, contineri, quod Platonis errorem sapit. Continetur quidem anima in materia, dum eam informat, sed aliter quàm aqua in vase: quippe aqua nil facit ad vas; anima verò materiam ad actum redu-

cit.

cit. Non potest tamen hoc facere, nî à materia contineatur; iccircò Deus formalis causæ concursum supplere efficiendo potest, informando non potest: quippe informare nequit, quin contineatur; contineri est pati; diuinæ autem naturæ pati non conuenit. Sed hoc obiter sit dictum.

Anima hominis, de qua loquimur, corpori ligata, non nisi per instrumenta corporis agit; si autem instrumenta non rectè se habeant, animæ actiones erroneæ quidem sunt, manente tamen animâ omnino inalteratâ. Actiones viuentis non sunt solius animæ, sed totius: dicuntur autem aliquæ pertinere ad animam, quoniam in his, magis quàm in aliis, animæ assistentia splendescit. Hoc tibi demonstrabo in illa Hippocratis sententia, 6. *epid. sect.* 7. cuius expositionem in hunc locum reseruaui: *Atrabilarij etiam comitiali morbo corripi plerumque solent, & vicissim comitiales fieri solent atrabilarij. Vterque verò morbus magis fit, prout ad alteràm partem inclinârit: Siquidem enim ad corpus inclinârit, comitiales fiunt; si verò ad animum, atrabilarij, melancholici*

dicti.

dicti. Galenus 3. *loc. affect. cap.* 7. hæc verba interpretatur, vt verti morbum ad animam, sit verti ad temperamentum,& sic fit melancholia, quæ est intemperiei morbus; verti ad corpus,sit verti ad compositionem, & ita fit epilepsia,quæ est morbus in compositione,nimirum ab obstructione pendens.

Mihi tamen videtur Epilepsia, quæ præcipuè in vitiatis motibus consistit, magis ad corpus pertinere,(sunt fateor motus totius compositi, sed qui magis corpori, quàm animæ tribuuntur) Quamuis autem sensuum priuatio adest, hæc minùs præcipuè consideratur, & tandem quia priuatio sensuum est, ad sola instrumenta corporea impedita refertur. Hac de causâ humor epilepsiam faciens, ad corpus magis conuerti dicitur.

Rursus quoniam in affectu melancholico nulla corporis pars apparenter læditur, sed laborant duntaxat potentiæ rectrices, quæ animam repræsentant,dicitur melancholia fieri, conuerso humore ad animam.

Adeò autem melancholica deliria ad animam pertinere censentur, vt ab Hippocrate

Hippocrate *in eâdem sect.7. lib. 6. epid.* sit dictum: *Mentis intelligentiam ipsam, per ipsam citra instrumenta ac negotia tristari, lætari, timere, confidere, sperare, desperare: velut Hippothoi domestica famula mentis suæ per seipsam gnara erat, & quæ in morbo acciderant, sciebat.* Num reuerà citra instrumenta? hoc quidem impossibile est: nam dum anima corpus informat, nil sine corpore, hoc est, sine instrumentis corporeis agit. Instrumenta autem corporea appello, non solùm ea quæ sensuum externorum sunt, sed quæ internorum etiam. Nihilominus sine externa sensatione potest homo intelligere, non tamen sine interna: *Oportet* enim *intelligentem speculari phantasmata.* At quando sine præcedente externa sensatione intelligit, videtur quodammodo citra instrumẽta corporea intelligere: quippe sensationes internæ propiùs accedunt ad spiritualem quandam naturam. Hinc Hippothoi famula mentis per seipsam gnara erat, & quæ in morbo acciderant, sciebat: quippe mens ab externâ sensatione abstrahens, se intus colligebat, & acutiùs intelligebat.

Propterea

Propterea melancholici intra seipsos collecti, multoties vaticinari dicuntur, non quòd futuros euentûs prospiciant, sed quòd, & circa præterita, & præsentia, atque etiam futura, profundiùs quàm alij, nullo exteriorum obiectorum impedimento oppressi, imaginentur. Ideò dicit Hippocrates, mentem *citra instrumenta ac negotia*, hoc est, nihil impeditam, per seipsam tristari, lætari, &c. Est namque negotio mentis, corporis otium aptissimum; iccircò ab Hippocrate *cogitatio, mentis deambulatio censetur*, nempe quia vt corpus motu, ita mens cogitatione exercitatur.

Dioscorides, quem Galenus recipit, hanc repudiat sententiam, atque vbi περίπατος, *deambulatio* legitur, legendum putat, περὶ παντὸς, *de omni*, vt loquutio talis sit, *anima de omni cogitatio hominibus*, hoc est, in qualibet re homines vim rationis exercitare debent. Sed hæc prætereunda sunt, illud verò mente tenendum, quod ad præsentem rem facit, nempe animam sua habere exercitia quibus valet, vt corpus suis. Interrogabis tamen, si exercitatio mentis

tis

tis confert animæ valetudini, cur *animus* (quod dici solet) quiescendo fit sapiens ? An quoniam quies , quâ animus fit sapiens,est quies corporis?confert namque studiis otium. An etiam quia vt mens,hoc est , rationalis anima sapiétiã acquirat,necesse est eé quiescere à passionibus, à quibus perturbatur?

Hæ passiones sunt *animæ morbi* , de quibus *cognoscendis* , & *curandis* Galenus *libellum* scripsit : ad quos etiam à corporis morbis,sicut etiam vice versa ab illis ad corporis morbos fit metastasis. Exemplum tibi sint insaniæ, eas animæ morbos appellat Hippocrates, in *epistola ad Senatum , populúmque Abderitanum* , & Plato in *Timæo* , qui rationi metum mœstitiámque inducunt; si autem longo tempore hæ animi ægritudines durent, *melancholicum tale est*, vt Hippocrates ait 6. *aph.* 23. Possunt videlicet homines, melancholico succo non præualente , ab aliqua causa manifesta timere, aut tristari ; si verò timor iste,& mœstitia perseuerauerint,melancholicum succum in corpore augebunt. Ita fit metastasis ab anima ad corpus , hoc est , ab animæ

mæ paſſionibus ad corporis humores. Nonne multoties medicinam facientibus contingit, hominibus mederi, qui aut ex obitu amicorum, aut ex damno aliquo affligi cœperunt, progreſſu autem temporis in aduerſam valetudinem lapſi, Medicum vocârunt? Hos autem quibuſnam medicamentis tractant? nempe iis, quæ melancholicum ſuccum corrigunt, & euacuant.

Rurſus aliquis aſſuetus cibis melācholicis, melācholicos præter debitā proportionē, humores accumulet, nūquid non laborat corpore, hoc eſt, cacochymiâ melancholicâ? maximè. At ſi ex huiuſmodi atra bile in cerebro collecta, incipiat in cogitationes multas delabi, ac tandem deliret, nonne erit morbus animi, in quem tranſmutationem fecit corporis morbus?

Plato in *Timæo*, hanc viciſſitudinariam metaſtaſin inter morbos animæ, & corporis, diuino quidem, quo pollebat, ingenio proſequutus mihi videtur. Nimius eſſem, ſi omnia, quæ ibi in hanc rem ſcripta leguntur, huc transferre vellem. Quærîſne morbum corporis ab animo deriuatum? ſic accipe.

Quando

Quando anima corpore admodum potentior est, exultátque in eo atque effertur, totum ipsum intrinsecùs quatiens languoribus implet. Quando etiam ad discendum inuestigandúmque, collectis in vnum viribus, vehementer incumbit, liquefacit protinus corpus, & labefactat. Denique cùm ad docendum, differendúmque priuatim, & publicè ambitiosa quadam concertatione contendit, inflammat corpus atque resoluit. Nonnunquam etiam destillationes fluxúsque commouet. Vis autem vice versâ morbum animi transmissum à corpore?en tibi rursus. *Quando corpus grande, & pigriori mole superexcedens pusillæ exilique cogitationi animi copulatur, cùm geminæ sint in homine secundum naturam cupiditates: vna quidem per corpus alimentorum, altera verò per id quod suum est, adaugent; quod verò animi, hebes, indocile, obliuiosum reddunt: atque ita infirmitatem maximam, videlicet imperitiam, generant.*

Insuper anima morbum patitur, nempe libidinis æstum, quoties homo lasciuas concipit imagines, tum ob spectacula, quæ illas mouere possunt, tum ob illarum rememorationem.

Tandem

Tandem ab hac animi ægritudine in pudendis morbus adnaſcitur, nimirum priapiſmus,gonorrhœa,& ſimiles affectûs,atq; ita ab animo tranſit ægritudo ad corpus.Hoc fortaſſe cõſiderauit Galenus in amico,qui præter eam, quam antè habuerat conſuetudinem, à concubitu abſtinuit, & ſubinde in ſatyriaſin incidit; cui conſuluit vt collectum iam genitale ſemen excerneret, poſtea verò, & à narrationibus, & ſpectaculis, & meditationibus libidinem excitare potentibus, ſummopere caueret, vt videre eſt apud eum *lib.6.de locis affectis, cap.6.* Sic & corporis, & animi morbo medicamentum adhibuit: corpori, excretionem ſeminis; animo,à laſciuis ſpectaculis, & venereis ſermonibus abſtinentiam. Crediderim Galenũ hanc methodum à Platone didiciſſe, qui curationem vtriuſq; affectus, animi,& corporis, ita inquiens docet: *Vna demum eſt ad vtrumque ſalus,& conſeruatio, vt neque animam ſine corpore, neque corpus abſque anima moueamus, vt in mutua contentione exæquatis inuicem viribus inſurgentia, bonam totius valetudinem tueantur.*

Porrò

Porrò non eſt inutilis iſthæc conſideratio, immò in praxi valde neceſſaria, & ab Hippocrate commendata. *Mentis*, ait ille, *memoriæ, aliorúmque inſtrumentorum, & appetentiæ, Medico cura, & meditatio ſit.* Quia cùm hæc omnia ad animi morbos referantur, manuducunt ad inſtituendam morborum corporis curationem: immò aliquando morbi animi, morbis corporis remedio ſunt. Iram prouocamus iis, qui lethargo, vel alio ſimili morbo frigido laborant, & lacrymatio cerebri humiditati medetur.

E contrario morbo corporis, morbus animi curatur, vt accidit melancholico, qui accepto vulnere in capite reſipuit, ſanato vulnere iterum delirauit. Verùm de hoc, latiùs in fine tractatus agemus, quando de iis quæ ad Medicum ſpectant, erit ſermo.

Cap. IX.

Metastasis à membro ignobili ad membrum nobile, nunquam bona.

Siue propter materiæ orgasmum, siue propter naturæ molestatæ impulsum metastasis fiat, nunquam ab ignobili loco ad membrum princeps, cum ægrotantis vtilitate accidit. Iccircò natura principalia membra multis quasi satellitibus circumpositis muniuit, eadémque innato robore ad hostilium incursuum expulsionem donauit. Quòd si principes istæ partes vincantur, & collum iugo submittant, corruit vniuersum. Hanc doctrinam, cui nemo vnquam se opposuit, videtur quodammodo labefactare sententia Hippocratis 6. aph. 26. *Quibus in febribus ardentibus tremores fiunt, delirio solnuntur*, quasi delirium, quod quidem fit transmissione materiæ ad membrum princeps, nempe cerebrum, liberet à febre, & hæc est Musæ interpretatio. Nam humore (qui in venis putrescens, febris causa

causa erat) ad neruos transmisso, cessat febrilis morbus, & oritur tremor; ab eodem verò humore in auras tenues resoluto caput occupatur, & delirium fit. Vt hic sit ordo: tremor ardentem febrem soluit, & delirium tremorem, atque febrem. Galenus propagationem quandam vnius mali in aliud esse arbitratur. *Quæ enim hanc febrem efficiunt causæ, in venoso genere existentes, quando ad neruos transferuntur, primùm tremores faciunt; compatiente verò principio etiam deliria.* Propterea non recipit verbum λυἐ, id est, *soluuntur*; nam ea superuenientia soluere alios morbos dicuntur, quæ prorsus ægrotantem liberant, non quæ alteram generant passionem, nihilo minùs priore periculosam.

Hæc itaque Galeni diuisio, videlicet, passiones aut superueniunt non minùs periculosæ quàm sint priores, & tunc non propriè dicuntur morbi priores soluti; aut superueniunt quidem, & hominem omnino liberant, & hæc propria est prioris morbi solutio. Hæc (inquam) diuisio valde peccat, omittens tertium membrum, nimirum

aut ſuperueniunt quidem paſſiones, ſed minùs periculoſæ, quæ ægrum nec omnino liberant, nec in deterius trahunt. Hæ autem paſſiones ſoluere priores morbos, iuxta Hippocratis œconomiam dicuntur. Sic 6. *aph.* 21. *Varices, aut hæmorrhoides ſi ſuboriantur*, μανίης λύσις, *mania ſoluitur*: En prior morbus *mania*, ſoluitur à minore, hoc eſt, ab hæmorrhoidibus. Similiter 4. *aph.* 57. *A conuulſione, aut diſtentione neruorum vexato*, πυρετὸς ἐπιγενόμενος λύει τὸ νόσημα, *febris ſuperueniens ſoluit morbum.* Nonne febris epigenomenon eſt minoris periculi quàm ſit conuulſio? maximè, & tamen febrem morbum ſoluere dixit. Ex his, & multis aliis Hippocratis locis cognoſces, eum verbo λύει, *ſoluit*, vti non ſolùm abuſiuè, quando remanet morbus peior priore, nec ſolùm propriè, quando nullus remanet affectus; ſed etiam tertio modo, quando remanet quidem ægritudo, ſed priore mitior.

Exiſtimat Cardanus tremores per vniuerſum corpus fieri, offenſo neruorum principio, nempe cerebro, non tamen cerebri ventriculis adhuc mali quicquam

quicquam patientibus. Vbi verò malum ad ventriculos cerebri conuertitur, desinit influere in neruos, ac proinde cessant tremores, pullulat verò delirium. Hanc fictionem damno: quî enim fieri potest, cerebrum affectum adeò esse, vt totum neruosum genus in perniciem trahat, & ad cerebri ventriculos nullum adhuc peruenisse malum?

Heurnius, *soluuntur* exponit, hoc est, *resoluuntur*: quasi dicat Hippocrates, ad tremores & deliria, sequi totius corporis resolutionem. Cæterùm longè petita interpretatio est, & quæ necessitatem euentûs secum non importet: neque enim necessariò tremens delirans, resolutus obit. Quid memorem varia multorum sensa? Sanè omnes in huius delirij expositione delirare mihi videntur. Forsan delirare videbor & ego, qui post tot declarationes, nouam nunc excogito; nihilominùs periculum, cui fit obnoxius ille qui in publicum prodit, subire libet.

Tremor propriè dictus, qui fit ex pugna inter debilem facultatem, & membri pondus, morbus est chroni-

cus, à causa frigida. Motum autem qui in acutis contingit febribus, ob pungentis materiæ acredinem factum, magis ad conuulsiuas motiones, quàm ad tremorem referam. Platonem reiicit Galenus *de tremor. rigor. palpit. cap. 6.* quòd tremorem cum rigore confundat. In hoc ego Galeno assentior: nam rigor sine refrigeratione non fit, tremor refrigerationem non expostulat. Attamen cùm idemmet Galenus *ibidem* aliundè etiam differentiam statuat inter rigorem, & tremorem, nempe quòd *tremor, nisi partem mouere velis, non accidat; agitatio autem quæ rigores comitatur, adeò violenta est, & necessaria, vt quiescere non liceat, nisi strenuè admodum renitaris.* Hæc differentia mihi ostendit, motiones, quæ per febres eueniunt, non esse tremores: siquidem in his vibrantur, & excutiuntur membra, etiam renitentibus ægrotis. Quapropter conuulsiui sunt motûs. Et hoc magis ex crebro euentu constare potest: quippe quòd post huiusmodi vibrationes, sæpe æger conuulsus moritur. Demonstrat etiàm hanc veritatem causa, ex qua vibrationes istæ fiunt,

ea

ea est mordicatio humoris biliosi, putridi, maligni. Vnde patet hanc esse conuulsionem illam, quam Auicenna ab improportione materiæ appellare solet.

Itaque phrenitici τρομώδεες, *tremuli*, ab Hippocrate dicuntur, non qui ob facultatem debilem tremunt, vt sunt Senes aut quomodocunque debiles: nam sic non magis phrenitici, quàm quouis alio morbo in extremis laborantes, tremuli dicerentur. Sunt igitur τρομώδεες ἐν τῷ λαμβάνειν, *tremuli in apprehendendo*, ob eximiam siccitatem communicatam à neruorum principio, hoc est, à cerebro inflammatione laborante. Sic etiam ex calcis sideratione, τρομώδεες πυρετοὶ, *febres tremulæ* fiunt: num ob pondus membri, & facultatis debilitatem? minimè. Sed ob neruorum principium affectum, à quo in consensum, neruosum, musculosúmque genus trahitur. *Sequuntur enim febres*, inquit *ibi* Hippocrates, *acutæ admodum, continentésque cum tremore, singultu, mentis alienatione, quæ paucis diebus hominem præcipitant.*

Sit igitur ratum, tremorem, in œco-

nomia Hippocratis,ad eas motiones ſe extendere,quæ tremorem quidem imitantur,ſunt tamen non partim à facultate , partim à membri pondere , ſed prorſus à morboſa cauſa. Accedamus nunc ad propoſiti aphoriſmi expoſitionem.

Febres quæ cum tremore fiunt , idem eſt ac ſi dicamus , *febres quæ fiunt cum motibus conuulſiuis*, hæ periculoſæ ſunt, ſi motûs iſti aduenıant poſt febres: quippe *febribus conuulſiones ſuperuenire, malum eſt.* Sed quæres , nonne poteſt eſſe bonum,ſi metaſtaſis fiat à venis ad muſculos : nam ſic febris deſinet propter iſtam metaſtaſin. Profectò nunquam metaſtaſis à venis ad neruos adeò copioſa eſſe poteſt , quæ febrem ſoluat , immò potiùs magis eſt epigeneſis quædam, hoc eſt,propagatio mali , quàm eiuſdem metaſtaſis , ſiquidem tremore ſuccedente febris non deſinit.

Ad tremores iſtos , ſeu ad motus conuulſiuos, ſi delirium ſequatur , vel erit metaſtaſis à neruis ad cerebrum, quæ tremores quidem ſoluet , non tamen febres, ſed eas deteriores reddet;

vel erit epigenesis, scilicet affecto iam grauiùs quàm antea cerebro: antea namque solùm neruis in suo principio communicabatur, nunc autem etiam domiciliis potentiarum rectricum. In hoc casu delirium nec febres, nec tremores soluit, sed in deterius morbum pergere indicat. Quis enim aliquid bonum augurabitur, vbi vel nerui offensi cerebro suam noxam communicant, vel cerebrum læsum læsionem suam auget? Altero ex his duobus modis, potest conuulsiones delirium sequi, atque ita manifestum remanet, metastasin à membro ignobili ad mēbrum princeps, vel à membri principis parte ignobiliore ad nobiliorem, nunquam posse esse bonam.

Cur ergo Hippocrates dixit, febres, & subinde tremores delirio solui? nempe quia febres ardentes, acutæ, vehementes, cum materiæ transmutatione à venis ad neruos, si soluantur, nonnisi per crisin possunt solui: quippe (vt Galenus ait, 2. *crif. cap.* 11. *in fine*) *eas quæ cum magno, & citò se inclinante certamine fiunt morborum solutiones*, (*quæ præcipuè crises nominantur*) *febrium ea-*

rum, quæ ex calidis humoribus accenduntur, proprias esse est existimandum: post has, earum, quæcunque membrorum sunt principatum habentium facilè mobiles, & calidæ dispositiones. Ephemeræ verò, & hecticæ febres, & sine magna perturbatione, & minimè subitas faciunt mutationes. Igitur ex hac sententia Galeni, colligo, febres ardentes, quibus conuulsiui motûs superueniunt, esse illas, quarum crises sunt propriæ. At ægrotantibus, *quibus crisis futura est*, ex Hippocratis decreto 2. *aph.* 13. *iis nox quæ antecedit, est grauis*. Iccircò tunc multa horrenda symptomata eueniunt, quæ Galenus 3. *cris. cap.* 2. & *cap.* 10. enumerat, vbi inter alia, delirij mentionem facit; delirium autem si quæ alia crisis secum ferat, præcipuè ea est quæ ad febres ardentes cum conuulsiuis motibus aduenit: quippe in his iam priùs cerebrum inceperat pati.

Fit autem delirium in hac crisi, non ex metastasi praua, hoc est, ad membrum princeps, sed naturæ crisin molientis perturbatione. Quasi mens fuerit Hippocratis, admonere Medicos, vt in febribus ardentibus, cum tremoribus,

bus, si delirium superueniat, considerent, an id fiat eo tempore quo crisis futura speratur, & tunc soluendum esse morbum poterunt prædicere, vt scilicet aphorismus iste, sicut alij multi, ad prognosin pertineat.

Persuadeor ad ita intelligendum, quia solet magnus Senex multoties, post vniuersalem propositionem, aliquam peculiarem animaduersionem adiungere. Dixerat itaque in superiore aphorismo: *Erysipelas ab internis ad externa ferri, bonum, ab externis ad interna, malum.* Nunc peculiarem casum affert, in quo videtur fieri conuersio ab externis, nempe à musculoso genere, ad interna, hoc est, ad ventriculos cerebri, & tamen non esse malã, éstque hic aphorismus quasi exceptio quædam superioris. Denique (quæ erat nostra præcipua intentio) delirium soluit febrẽ, nec propterea metastasis ad membrum princeps est bona, quia hoc delirium quod est symptoma criticum, ad quod mox sequetur celebris aliqua euacuatio, non est stabile. Ac propterea solùm in iudiciariis si-

gnis,& accidentibus,poteſt malum accedere ad membrum princeps,ſine noxa ; hæc autem, nec eſt metaſtaſis,nec epigeneſis , ſed quædam ex naturæ conatu perturbatio,atque violentia.

C A P. X.

Metaſtaſis, ſymptomatis ratione facta,aliquando bona.

MOrbi, qui & ſine magna perturbatione, & minimè ſubitas faciunt mutationes, nonniſi abuſiuè criſi ſolui,à Galeno 2. *criſ. cap.* 11. dicuntur. Criſis autem per excellentiam, 3. *criſ. cap.* 1. hoc eſt, ſine addito, eſt permutatio omnino ad ſalutem , confertim à natura vincente, quæ,præcedentibus coctionis ſignis , in die decretorio contingit. Huic oppoſita criſis eſt, cum addito,*praua*,quando ſcilicet morbus,cum prauis ſignis ; præcipite lapſu ad mortem terminatur. Inter has , duæ ſunt mediæ , proinde imperfectæ appellatæ, altera ad melius , ad deterius altera.

Præter has euacuationes , vel à vincente,

cente, vel à victa natura factas, sunt etiam aliæ ab eadem irritata, quæ quoniam symptomatis ratione fiunt, symptomaticæ appellantur.

Harum nomine audito, cane peiùs & angue, vulgus Medicorum perterretur. Cæterùm non adeò vniuersalis in eas sententia promulganda est, quin aliquis relinquatur excusationi locus. Varij varia in hanc rem scripta reliquerunt, instituti mei ratio in præsenti non postulat, vt longam conficiam disceptationem, propterea aliorum sententiis omissis, dicam duntaxat quid sentiam, & dicam breuiùs quàm res tanta dici possit, curabo tamen ne quidpiam ad huius difficultatis enodationem necessarium omittam.

Omnis euacuatio, symptomatis ratione facta, in tempore peccat; si enim debito fieret tempore, hoc est, in die decretorio, non ampliùs symptomatica, sed critica diceretur. Nihilominùs, vel peccat in solo tempore, vel simul cum temporis vitio, habet vitium qualitatis, aut quantitatis, aut vtriusque. *Si qualitate, & quantitate simul* sit vitiosa, omnino damnanda est. *Si quantitate tantùm*

tantùm, vel quantitas excedit, & tunc eſt inhibenda; vel deficit, & tunc an ſit ſupplenda, certant artis proceres, & adhuc ſub iudice lis eſt. Cauſa huius controuerſiæ eſt Galenus, qui 1. *de art. cur. ad Glauc. cap.* 14. alui fluxum non aliâ inſuper euacuatione ſuppleri vetat, *quamuis non ſit pro multitudinis ratione.* Cæterùm in *tractatu de complexu morborum*, huic dubio videor feciſſe ſatis, circa quod nunc etiam aliquid inferiùs attingam. *Si qualitate peccauerit*, decreto Hippocratis 1. *aph.* 2. damnabitur. Nec eſt, cur Ioannes Baptiſta Siluaticus poſſe hanc eſſe proficuam, ſi virtutis adſit tolerantia, exiſtimet. Nam meminiſſe debuerat, dictum eſſe ab Hippocrate, *cùm non purgantur talia, qualia purgari oportet*, (quod idem eſt ac ſi diceret, quæ peccant in qualitate) *nec conferre, nec leuiter tolerari.* Profectò ſi non conferunt, non ſunt proficua; ſi non tolerantur, non ſiunt cum virtutis tolerantiâ. Vanum igitur eſt, & præter magni Dictatoris mentem, dicere euacuationes poſſe has aliquando conferre. Quòd ſi dicat, poſſe etiam cum materia quæ morbum non

facit,

facit, aliam morbum facientem educi. Respondebo, tunc non esse euacuationem qualitate absolutè peccantem, sed aliqua ex parte. Hanc autem quis prorsus damnabit? Si tandem *solius temporis peccatum adsit*, non autem omnino qualitatis, neque valde magnum quantitatis, tunc posse aliquando iuuare tam certum est, quàm quod certissimum,

Insurget fortasse aliquis ex iis, qui à Galeno ne latum quidem vnguem volunt discedere, & eius verbis suffultus, 4. *aph.* 2. euacuationes anticipatas improbabit, siquidem symptomaticas istas euacuationes, & vt causam, & vt signum prauas esse contendit, inquiens: *Cùm itaque natura superfluum euacuat, iuuatur animal: cùm verò alioqui excernitur, casûs ratione: neque inde vtilitas vlla prouenit, & talis euacuatio praua dispositionis est signum.* Multò autem efficaciùs hoc repetit, *eodem libro* 4. *aph.* 22. his verbis: *Quando incipit morbus, siquid excernitur, nihil tunc excernitur, natura ratione, sed sunt omnia casus earum, quæ præter naturam sunt in corpore dispositionum. Quo enim tempore, à cau-*

sis

sis quidem morbum facientibus natura grauatur, adest autem cruditas humorum, tunc aliquid bene euacuari est impossibile. Dixit esse *impossibile*, vt raros etiam euentus excluderet, ne cui locus esset confugiendi ad id, quod communiter dici solet, nempe medicæ artis placita non esse perpetuæ veritatis, sed vt vera dicantur, sufficere, si contingant *secundum plurimum.*

Libenter tamen quærerem à Galeno, an cùm hæc scripsit, è memoria illi exciderint non pauci ægrotantes, quos Hippocrates testis fide dignus, euacuatione factâ citra coctionem, & extra diem criticum saluatos fuisse narrat? Nonne Metoni *septimo ægroto sectionis tertiæ libri primi, Die quinto, è dextra nare sanguis affatim profluxit merus?* At Galenus ipse, tum in istius historiæ commentario, tum 2. *de difficult. respir. cap.* 10. euentum hunc, vtpote præter opinionem, & qui accidere non soleat, miratur. Cæterùm sit licèt admiratione dignus, iam constat posse accidere: aliud enim est, rem esse ex iis quæ rarò eueniunt; aliud, impossibilem esse. Præterea virgo Larissæ,

cuius

cuius fit mentio 3.*epid. sect.* 3. *agr.* 12. copioso sanguinis fluxu è naribus, & menstruis prouenientibus, sanitatem fuit assequuta. Quid alios commemorem, qui nullis præeuntibus coctionis notis, euacuationes vtiles habuerunt? Quin, vt Galenus ipsemet fatetur, *sect.* 3. *in prorrh. com.* 18. *Expurgantes corpus euacuationes, principium quidem à syinceris interdum habent, sed desinunt in benignas, mitésque deiectiones.* Synceræ, prauæ sunt, & nunquam nisi symptomaticè eiiciuntur: quòd si in crisi exeant, in praua crisi exire dicendum est; & tamen synceræ istæ excretiones possunt vtiles esse, quasi naturam quodammodo ad aliorum humorum expulsionem stimulantes. Ego verò existimo, ab Hippocrate *ibi* dictum, *ex synceris purgationibus desistentibus parotides exurgere*, quia per illas euacuationes, licèt prauas, natura aliquantulum sublenata potuit aliorum euacuationem per parotidas moliri. Sunt autem synceræ, prauæ, non ratione causæ, nam morbifica sunt causa, & vtiliter euacuantur; sed ratione signi: quippe magna est adustio, quæ bilem syncе-

ram reddit; syncerum autem de bilioso humore ab Hippocrate dici solet.

Verùm, quoniam (vt Galenus 1. *crif.cap.* 9. ab Hippocrate edoctus ait) *materia cruda non facilè expulsioni cedit.* Existimabit aliquis, magnam violentiam naturam pati, si aliquid in principio educatur. Cæterùm scire expedit, longè minorem ægrotanti vim inferri, si vacuationem moliatur natura, quàm si medicamentum: & tamen Hippocratis consilio, 2. *aph.* 29. *cùm morbi inchoant, si quid mouendum videtur, moue:* vbi Galenus, *melius esse*, ait, *in principiis euacuare, quò minorem iam factam materiam faciliùs natura possit concoquere.* Sic ille. Si igitur euacuatio in principio confert ad futuram coctionem, sanè isthæc euacuatio ante coctionem fit: si autem fieri potest cum vtilitate ab arte, à qua maiorem agitationem patitur corpus, multò meliùs fiet à natura, à cuius operibus minor contingit agitatio.

Quòd autem euacuatio materiæ crudæ ad futuram coctionem sit vtilis, in nulla re meliùs ostendi potest, quàm in humore, qui concoqui nequit, quo euacuato,

euacuato, alij humores qui concoqui possunt, concoquuntur. Aqua hydropicorum coctionem non admittit, nihilominùs in *Coacis* laudatur, *aqua hydropicorum in principio sine cruditate.* Sed cur dicitur *sine cruditate?* potéstne aqua isthæc sine cruditate esse? minimè: sed quoniam ad aquæ eductionem sequitur, vt fæces, quæ priùs erant liquidæ, sint compactæ, & vrina quæ aquea erat, colorem substantiámque meliorem acquirat.

Si verò quæras, cur laudetur isthæc eductio aquæ *in principio?* Dicam, tunc temporis naturam adhuc esse minùs debilem, & posse ab euacuata aqua subleuari, quod non posset fractis iam morbi diuturnitate viribus. Vt hinc agnoscas, euacuationes siue à natura, siue ab arte, meliùs tolerari primis morbi diebus, cùm natura adhuc est sui compos, quàm postquam ægritudinis longinquitas vires omnino labefactauit.

CAP. XI.

Metastasis secundum rectitudinem fieri debet.

LAudatissima est, apud Hippocratem, ea metastasis, quæ fit κατ' ἴξιν, *è directo*: contrà verò ea damnatur, quæ accidit κατ' ἀνάπαλιν, id est, *ex aduerso*. Interpretatur Galenus 6. *epid. sect.* 1. *com.* 1. *prim. de vict. acut. com.* 28. 2. *de humor. com.* 17. *de rat. cur. per sang. miss. cap.* 15. 1. *aph.* 20. istud κατ' ἴξιν, quasi dicamus κατ' εὐθυωρίαν, hoc est, *recto tramite*, & in *aphorismo* 21. *primæ sectionis*, καὶ εὐθὺ τοῦ πεπονθότος μορίου, id est, *è directo partis affectæ*. Hæc significatio ex multis Hippocratis sententiis colligitur: quippe non solùm à natura κατ' ἴξιν, hoc est, *è directo* euacuationes factas laudat, sed etiam ab arte, vt quando 4. *acut.* 73. inquit: *Si dolor sursum penetrauerit, vel clauiculam, vel mammam, vel brachium, venam cubiti internam secare oportet, quâ dolor afficit parte.* Quod si è contrariis ductum argumentum aliquid valet, profectò

cùm

cùm in *Coacis* damnetur, 1. *prorrh. sect.* 3. *text.* 33. hæmorrhagia facta *κατ᾽ ἀνάπαλιν*, *ex aduerso*, & in multis aliis locis, laudetur ea quæ fit *κατ᾽ ἴξιν*, tenemur fateri *κατ᾽ ἴξιν* esse *è directo*.

Siquis autem à Galeno quærat, cur euacuationes è directo conueniant: confugit ille, 1. *prorrh. proximè citato*, ad experientiam; immò & Hippocratem hanc veritatem ab experientia didicisse vult. Neque enim vera fuit opinio veterum Hippocratis interpretum, existimantium, vt ex hepate vena caua sursum per thoracem fertur, ita etiam aliam è liene enatam sinistris partibus distribui: quippe lien nullam ad sinistra venam mittit. Rectitudinem ergo seruandam commendat magnus Dictator: nec solùm in hæmorrhagiis, in quibus manifestum præbet exemplum cucurbitula applicata hypochondrio eius lateris, ex quo è naribus fluit sanguis; sed in omni etiam naturæ opere, in omni mutatione, *per rectum*, inquit ille, *fiunt morborum mutationes, & crises, & abscessus*. Si hepar incaluit, dextra auris rubescit, & perseuerante huius visceris calida intemperie, dextra manus

manus, & pes vlcerantur; si lien, sinistra; si caput ex vtero dolet, vertice dolet, quoniam è directo vertex vtero superponitur; si ex ventriculo, frons; ex iecore, dextrum latus vrgetur; ex ne, sinistrum; ex renibus, occiput. Partes vteri dextræ, propter rectitudinem cum hepate, tantò sunt calidiores, vt propterea in dextris loculis mares gigni, sit opinio ab Hippocrate deriuata.

CAP. XII.

Damnatur opinio existimantium rectitudinem consistere in natura sanguinis.

HAnc rectitudinem ineptè quidam ad igneam sanguinis naturam, semper recto tramite ad superiora tendentem referunt: sed quid dicent de rectitudine, quæ fit ad inferiora? Deinde si sanguis igneæ conditionis motum sequeretur, ita faceret naturæ suæ relictus. At natura, quando euacuat, non sinit sanguinem naturæ suæ leges sequi, sed vel illum impellit, vel attrahit; similiter etiam ars operatur.

Cap. XIII.

Altera opinio, existimantium rectitudinem consistere in procliuitate fluxionis, improbatur.

Vana est etiam imaginatio eorum, qui putant rectitudinem consistere in procliuitate fluxionis humorum, iuxta situm, quem intra venæ cauitaté obtinet: quemadmodum enim in flumine (dicunt isti) pars dextra ad dextram suum ductum seruat, & sinistra ad sinistram, ita sanguinis in vena contenti partes seruant suos ductus, & fluxionis proprietatem secundum hanc, vel illam partem. Cæterùm duplici nomine damnandi sunt: tum quia situm spectant in corpore, quod perpetuò mouetur, velut in flumine quod super terram stabilem fertur: tum quòd in solis venis reperiant rectitudinem, cùm tamen in lienis inflammatione, vena quæ secatur in brachio, & pede, sit à caua, vel ascendente, vel descendente procedens, cum qua nihil commune habet lien: quippe non à caua,

ua, sed à porta suscipit nutrimentum.

Cap. XIV.

Opinio Fernelij, & aliorum reducentium rectitudinem ad fibras, reiicitur.

ALiorum opinio est, quam Fernelius 2. *meth. cap.* 5. amplectitur, rectitudinis rationem ad fibrarum rectarum opem referens: quod quidem nullâ consideratione dictum videtur. Nam si ille fatetur rectis fibras attractioni, obliquas expulsioni esse destinatas, cur magis tractioni, quàm expulsioni humorum, & præcipuè sanguinis, euacuationem tribuit? Profectò ea quæ venæ sectione fit, neque tractione, neque expulsione opus habet, sed sanguis, aperto orificio, quà data porta ruit; ea verò quæ fit à natura, expulsione fit. Quis enim dicat, fluxum sanguinis è naribus attractione fieri? Addit ille. ***Laudantur humorum cursûs, quicunque in directum feruntur: qui verò obliquè in transuersum,***

sum, vitio dantur, tanquam violatæ naturæ, & perturbationis indices: Sed cur? nonne in obliquum facti sequuntur fibras obliquas, vti in directũ rectas? Deinde, cùm liene affecto, sanguis è nare sinistra fluens rectitudinem sequi dicatur, quænam sunt filamenta, & fibræ venarum inter lienem, & nares? Præterea cùm omnes venæ superiores cum inferioribus, in hepate confundantur, quænam erit rectitudo inter manum dextram, & pedem dextrum? & tamen in iis quæ sursum, & deorsum fiunt, rectitudo etiam commendatur.

Plures sunt rationes, quibus isthæc opinio conuellitur: omnium tamen instar, vna duntaxat sit, nempe, quando verum sit expulsionem fieri per venarum rectas fibras, (quod tamen falsum esse deprehenditur) nihilominus humorum, vaporúmque decursus, immò & qualitatum propagatio, quæ omnia fiunt extra venas, vndénam habebunt vt rectitudinem seruent? quam tamen seruant, vt experimento est comprobatum.

Cap. XV.

Vera opinio, rectitudinem consistere in meatibus.

Vera rectitudinis ratio consistit in meatibus, quibus vniuersum corpus est perforatum. Sunt enim alij conspicui, alij inconspicui in rectum protracti, magnâ naturæ prouidentiâ, quæ rerum conseruationis solicita, non solùm viuentium caducitati seminum creatione, prospexit, vt pro iis quæ perierunt, alia denuò substituantur, sed animalia ipsa, & semina quàm plurima duplicia constituit, vt si ab externis iniuriis vna pars pereat, altera supersit. Iccircò gemini sunt oculi, aures, brachia, crura, & reliqua, ita vt duo quasi animalia in vnum coniuncta videantur. Seminibus etiam duplicitate consuluit: fabæ, cicera, triticum, & cerealia ferè omnia manifestam separationem habent, vel per intercedentem membranulam, vel per solam appositionem sine agglutinatione, ita vt duo latera non sint inter se continua:

&

& hæc duplicitas in ſolis iis deficit, in quibus paruitas diuiſionem non tolerat; diuiſionis tamen defectum multiplicitate compenſauit: apparet hoc in milio, & in piſcium ſeminibus. Propter hanc duplicitatem, vnaquæque medietas ſuos habet ductus, ab alia diſtinctos, qui propterea in rectum protrahuntur.

Hæc meatuum rectitudo, per αὐτοψίαν fit manifeſta: nam in cerebri, teſtiúmque medulla, ductus quidam, tanquam alueoli ſanguine pleni conſpiciuntur, exiſtimantibus nonnullis, vaſa eſſe, quæ tamen non ſunt, ſed ſecundum rectitudinem foramina alendis partibus, communicandíſque per rectum materiis, creata. Hos ductûs in tabula contemplaberis: quæ faciliùs in rectum, quàm in tranſuerſum ſecatur. Si præterea aquam diſpergas, ſecundùm meatuum longitudinem fluet.

Eſt tamen Galeni autoritas 3. *de fractur. com.* 10. quæ hanc doctrinam euertere videtur: ſiquidem κατ' ἴξιν Hippocratem ſemper intelligere, ait, *è regione, modò in longitudinem corporis, modò in latitudinem.* Gorræus, vt hunc

nodum soluat, hos meatûs inquit non vnius generis à natura esse factos, sed multiformes, alios secundùm longitudinem, alios secundùm latitudinem corporis, alios verò ab anterioribus ad posteriora tendentes. Verùm ista meatuum multiplicitas ad libitum est assignata. Melius, & rationi magis consentaneum erit, dicere, si euacuatio vnam corporis quadram non transeat, posse quidem fieri secundùm latitudinem, per meatûs in longitudinem exporrectos. E. g. si ex iecore, aut ex costis lateris dextri, ad manum dextram metastasis fiat, fieri dicetur secundùm corporis latitudinem, siquidem à manu ad latus, latitudo spectatur; nihilominùs fiet per meatus in brachio in longitudinem exporrectos.

CAP. XVI.

Possitne deperditâ rectitudine fieri metastasis laudabilis.

ALiud est communitas, aliud rectitudo: quippe communitas per communia fit vasa, hoc est, per vasa inter

inter se communicantia, videlicet propagines vasorum iuxta affectam partem excurrentium; rectitudo autem per meatûs. Cæterùm quando vtraque seruari potest, id sine dubio præstare operæ pretium erit, E. g. sanguinis missio in pleuritide si fiat à brachio lateris affecti. Quando verò altera necessariò omitti debet, satis est vnam duntaxat obseruare, nempe eam quæ magis ex vsu esse videatur. Galen. 13. *meth. cap.* 4. *Manu laborante*, inquit, *scarifica crura; altero crure malè habente, reliquum.* Vt hoc exemplo tibi pateat, quid faciendum sit in eligenda communitate, aut rectitudine. Iubet enim vt à manu ad crus rectitudo seruetur: quippe ibi nulla potest esse communitas, & humor promptè descendit. A crure verò sursum licèt natura rectitudinem moliatur, (vt in hæmorrhagia è naribus, quâ iecoris, & inferiorum partium affectûs soluuntur) quod contingit ob efficacem naturæ contentionem; hoc tamen rarum est, & in arte, quæ à natura in energia superatur, impossibile. Propterea si in crure est affectus, præstat ad vasorum communitatem con-

fugere. Est autem communitas vasorum in vno crure ad alterum : bifurcatur namque vena vtrique cruri alimentum deferens.

Neque hæc vasorum communitas à natura contemnitur : siquidem in Herophonte, 1. *epid. sect. 3. ægr. 3.* priùs rectitudine seruatâ, ex lienis inflammatione, in sinistrum inguen recto tramite transposuit materiam, & (quoniam hoc non erat satis) iecur, cuius sanguinem lien, inflammatione impeditus, non suscipiebat, per venam cauam descendentem, misit ad vtrumque crus materiam, ita vt ad crus sinistrum, & totum id quod erat in inguine, fluxerit per rectitudinem; & ex vena caua non rectitudinis ratione, sed communitatis, aliqua portio fuerit transmissa.

Sed quoniam diximus, à supernis ad inferna facile esse rectitudinem sequi, non verò ab infernis ad superna: videmur Hippocrati aduersari, qui ita 6. *epid. sect. 2. text. 13.* inquit : *Vtrùm igitur omnium, aut quæ quidem ab inferis sursum, qualia iuxta maxillas, aut etiam oculum, aut aurem. Quæ verò à superis deorsum, non secundùm rectum. Atqui, &*

in

in angina rubores, & coſtarum dolores ſecundùm rectum. Nonne ex his verbis conſtat, ea quæ tendunt deorſum, *non ſecundùm rectum* procedere; ea verò quæ tendunt ſurſum, *qualia iuxta maxillas, aut oculum, aut aurem, & in angina rubores, & coſtarum dolores, ſecundùm rectum*, hoc eſt, in his omnibus quæ ſurſum tendunt, rectitudinem ſeruari?

At non ita intelligi debet Hippocrates: quippe longè alia eius mens eſt. Videlicet oſtendere, rectitudinem, quando ab infernis ad ſuperna ſpectatur, optimè conſpici poſſe: vt ſi hepar laboret, & ſanguis ex dextra nare fluat; ſi lien, ex ſiniſtra; ſi ex hypochondrio dextro materia aſcendat, parotis fiet iuxta dextram aurem; ſi ex ſiniſtro, iuxta ſiniſtram. In iis verò, quæ à ſupernis ad inferna fiunt, multoties rectitudinem diſcerni non poſſe, E.g. in melancholia, varices, aut hæmorrhoides ad inferna humorem deducunt tam dextræ, quàm ſiniſtræ. Tuſſis antiqua teſtium tumore euaneſcit, dextríne teſticuli, an ſiniſtri, cognoſci nequit. Menſtrua à ſupernarum partium morbis liberant, neque

an dextrorſum, an ſiniſtrorſum inclinent, contemplamur. Quoniam ergo in his, & ſimilibus rectitudo non agnoſcitur, ex qua iudicemus procedátne ſuo iure euacuatio, recurrimus ad tria quæ Hippocrates illic proponit; nempe *quò, vnde, propter quid.* Videlicet *quò,* ad quam partem: num ad eam, in qua fiat damnum peius priore: an ad eam quæ vtilitatem afferat. *Vnde,* an à membro nobili, & ab eamet parte, quæ priùs vexabatur. *Propter quid*, num propter victoriam, an propter moleſtiam. Quod magni momenti eſt ſcire.

CAP. XVII.

Communitas, & rectitudo quænam cui præferatur.

IAm dixi optimum eſſe, ſi & communitas, & rectitudo ſimul concurrant, ſimúlque vel à natura, vel ab arte ſeruentur. Pergo nunc, ſi vna tantùm poteſt ſeruari, & Medico detur optio aſſumendi quam velit, vtram eliget? Crediderim Galenum id nobis decretum reliquiſſe, 13. *meth. cap.* 11. his verbis:

bis: *Ergo pariter tum reuellendus, tum educendus, qui ad iecur fluit sanguis est, internâ in dextro cubito sectâ venâ, propterea quod è regione, & amplâ viâ, cum vena quæ caua dicitur, societatem habet: hac non apparente, media secanda est; quòd si nec ea se ostenderit, reliqua ac tertia incidenda.* Sic ille: Quem vides ab vna vena, si non reperiatur, ad aliam transire, semper tamen in eodem brachio persistere, potiùs quàm in alio opposito venam, quam non reperit, quærere. Nonne est hoc rectitudinem communitati præferre? Profectò non omnes venæ sectæ æqualiter prosunt, dicente eodem 2.*acut. com.* 10. *Vacuationes ab vniuerso animalium corpore fieri, quanquam neque celeriter, neque similiter ex omni vena fiant.* Nihilominus succedaneas venas eligimus, dummodò in rectitudine persistamus; præstat enim in vna quadra persistere, licèt venas non habeamus communicantes, quàm propter venarum communitatē ad diuersam quadram transire. Corpus diuidito in quatuor quadras, duas supernas, infernas duas. Sit E. g. in quadra dextra, hoc est, in costis

dextri lateris, inflammatio, melius est in brachio dextro, id est, in eâdem partis affectæ quadra, si axillaris vena non reperiatur, quamlibet aliam secare, quàm accedere ad axillarem venam quadræ oppositæ, nempe lateris sinistri. Vt hinc iam addiscas, rectitudinem communitati esse præferendam.

Cap. XVIII.

Quid, & quotuplex diadoche.

Existimant nonnulli inter διαδοχὴν, *diadochen*, & μετάστασιν, *metastasin*, differentiam esse, quòd diadoche κατὰ λόγον, hoc est, *secundum rationem* fiat; metastasis autem παρὰ λόγον, nempe *præter rationem*. Verūtamen, vt ex Hippocratis, & Galeni scriptis coniectari licet, in alio hæc differentia consistit: videlicet μεταστάσεις, *metastases*, naturâ validè impellente; at verò διαδοχαὶ, *diadocha*, vt eas appellat Hippocrates, seu διαδέξιες, *diadexies*, vt Galenus, tunc fieri dicuntur, cùm debili impulsu transmutatio accidit. Hippocratica sententia est valde celebris, *6. epid. sect. 2. text.*

2.*text*.28. Αἱ διαδέξιες τῶν ὑποχονδρίων, ἐξ οἵων οἷα ἄλλοισι, καὶ τῶν σπλάγχνων τῶν φλεγμονῶν, οἷα δύναται, εἴτ' ἐξ ἥπατος σπλῆνα, καὶ τἀναντία, καὶ ὅσα τοιαῦτα, id eſt, *exceptiones*, ſiue *ſucceſſiones*, ſiue *deriuationes*, (has tres interpretationes vocabulum diadexies, ſeu diadochæ patitur) *hypochondriorum, ex quibus, & quales fiant expectandæ ſunt, atque etiam aliæ, & in viſcerum inflammationibus quantum valeant, ſiue ex iecore in lienem, ſiue contrà ferantur, & quæcunque ſunt huiuſmodi.* Sic ille. Sanè conſentaneum videtur, vt quando promptitudine fluxionis *diadochæ* fiunt, *deriuationes* appellentur; quando imbecillitate recipientis membri, *exceptiones*; quando autem ſucceſſiuè vnum ab altero ob ſympathiam, ratione vicinitatis, affinitatis, aut officij patitur, *ſucceſſiones*. Has tres acceptiones ſeorſim libet illuſtrare.

F 6 CAP.

CAPVT XIX.

Deriuationes.

SIue per manifestos ductus, siue per obscuros meatus, eò materia deriuatur, quò promptitudinem habet. In hac classe catarrhos collocare memento. Nam cerebrum, quod in *libello de carnibus*, seu *de principiis*, *Metropolis ac sedes frigidi*, *&* *glutinosi* appellatur, cùm in superiore sit arce, facilis ex eo in subiectas partes fit lapsus: vnde triplex accidit destillatio: Si enim ad nares fluat, Græcis dicitur κόρυζα, *coryza*, Latinis *grauedo*; si ad fauces, Græcis βράγχος, *brăchos*, Latinis *raucedo*: si verò ad thoracē pulmonésve, κατάῤῥους aut κάταῤῥος, *catarrhus*, & apud Latinos nomē idem seruat; quamuis interdum etiam pro omni fluxione accipiatur. Demum fiunt deriuationes, quotiescunque viarum commoditas adest: sic & gonorrhœas, & omnes muliebres fluores, per diadochen, quæ deriuatio quædam est, fieri dicemus; similiter etiam & lapis, quando sensim à renibus in vesicam cadit.

cadit. In his omnibus nec vehemens cernitur impulsus, nec partis suscipientis vel attractio, vel imbecillitas.

Cap. XX.

Exceptiones.

IMbecillitas suscipientis loci si adsit, diadochen, appellatione exceptionis significabimus, quia scilicet ex fluente materia effectus, seu potiùs affectus, ad exceptionem refertur. In hoc genere constitue inprimis arthriticos: fiunt enim humore in articulis recepto: quia, vt Galenus ait 4. *aph.* 3. *latiora ipsorum spatia promptè se habent ad superfluitates suscipiendas.* Est etiam alia ratio, nempe quoniam dum articuli simul cum musculis mouentur, motu concalescunt. Denique quia loca ignobilia cùm sint, & languida, vtpote à caloris fonte valde remota, facilè admittunt fluxionem: quæ omnia Princeps 22. 3. *tract.* 2. *cap.* 5. paucis verbis est complexus: *Et non quidem multiplicantur dolores in iuncturis, nisi quoniam ipsæ sunt magis vacuæ, quàm reliqua membra, & plurimi motûs,*

& debilioris ac frigidioris complexionis, & situs earum in extremitatibus, est longinquus à rectore primo.

In eadem serie mihi statue omnes tumores, qui fiunt in adenibus, seu glandulis, *quarum natura* (vt ait Hippocrates *libello de glandulis*) *spongiosa est: sunt enim raræ, & pingues, & neque carnes suntreliquo corpori similes, neque aliud quid simile corpori, sed friabiles sunt, & venas multas habent. Si verò disseces, sanguis largus erumpit, specie albus, & velut pituita. Tangenti autem velut lanæ apparent. Et si multâ vi ipsas digitis compresseris, glandula humorem oleosum remittit, qui & ipse conteritur vtplurimùm, ac disperit.* Sunt autem illæ, quas ad recipiendum paratas propriè emunctoria solemus appellare, præcipuè tres, tribus membris præcipuis expurgandis dicatæ: retrò aures, cerebro; sub alis, cordi; in inguinibus, iecori. Est autem ἀδὴν, caro spongiosa, pituitosa, rotunda, in oblongum producta; quare tum figuræ, tum substantiæ merito, facilè materiam aliunde suscipit.

CAP.

Cap. XXI.

Successiones.

MOrbi morbis succedunt, propter vnius membri cum alio sympathiam. Hanc triplicem agnoscit Sabinus apud Galenum 3. *epid. sect.* 1. *in ægrotum* 1. Prima est *propter viciniam*: nam vicinæ partes facilè vicinarum vitia contrahunt, *& mala vicini pecoris contagia lædunt.* Altera, *propter generis conformitatem*, vt quando neruosum genus cum neruoso, arteriosum cum arterioso consentit. Tertia, *propter operis familiaritatem*, quomodo consentiunt mammæ cum vtero.

His alias tres potes addere, quarum prima est *rectitudo meatuum*: iccircò in hemicrania, si consensus sit cum iecore, dolet pars dextra; si cum liene, sinistra; si cum ventriculo, syncipút; si cum renibus, occiput; si cum vtero, vertex. Secunda *vasorum communitas*: ideò ventriculus capiti, hepatíque consentit, nimirum capiti, ob neruum sextæ coniugationis, vnde vicissim ex capitis dolore

dolore ſubuertitur ventriculus, ex ventriculi ſubuerſione caput dolet. Tertia *partium continuitas* : continuatur tunica, quæ interiùs ventriculum veſtit, & eſt eadem cum veſtiente exteriùs linguam, fauces, palatum, & cum ea quæ interiùs veſtit inteſtina. Propterea ab Hippocrate 6. *aph.* 32. *Balbi* dicuntur *alui profluuio maximè capi* : quia debilitas tunicæ in lingua, efficit vt litera *R.* difficulter proferatur; eadem verò debilitas eandem occupans tunicam in ventriculo, & inteſtinis, efficit vt fæcum fiat diminuta retentio, & ſubinde facilis elapſio.

Non eſt præter rationem, prædictis ſympathiæ ſpeciebus aliam adiungere, cuius cauſa ignoratur. Ob hanc in diaphragmatis inflammatione delirium continuum accidit. Non quidem ob neruoſam naturam, quam habet, nam in aliarum neruoſarum partium inflammationibus, non contingit idem. Non propter motum : nam pulmo qui in motu perpetuo eſt, cùm inflammatur in peripneumonia, non ſecum neceſſariò delirium affert. Non propter vicinitatem, nam magis vicinum diaphrag-

mati

mati eſt cor quàm cerebrum, nec tamen ex diaphragmatis inflammatione, ſequi videmus palpitationem, deliquiúmve. Manet igitur, vt ſit cauſa quæpiam occulta.

Nec verò ſolùm per συμπάθειαν, *ſympathiam*, ſuccedunt morbis morbi, ſed etiam per δευτεροπάθειαν, *deuteropathiam*, ſiue ὑστεροπάθειαν; *hyſteropathiam*, hoc eſt, *per affectum ſecundarium, vel poſteriorem:* Vt ſunt phymata poſt variolas; lienis tumores poſt quartanas; hydropes poſt tertianas; & plerique alij affectus, quos etiam ſubſequentes poſſumus appellare. Hi omnes ſi hominem à priore malo valde languidum accipiant, hac vel maximè de cauſa, ab Hippocrate in *libello de affectibus* pernicioſi iudicantur.

STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LVSITANI,

QVÆ EX QVIBVS.

LIBER TERTIVS.

CAPVT I.

Apostasis quotuplex.

INVENIES apud Hippocratem, apostasin, seu abscessum, multipliciter acceptum. Interdum abscessum vocat transitum vnius febris in aliam, vt quando 1. *epid. sect.* 2. *text.* 21. ait: *Ex febribus, & aliis morbis abscessus in quartanas fiebant.*

Non

Non rarò hoc vocabulum ad omnes euacuationes extendit, quod Galenus animaduertit *6. epid.sect.3.com.* 39. inquiens: *Sæpius Hippocrates non solùm ea, quæ in aliquam corporis partem deponuntur, sed etiam ea quæ expelluntur, abscessus nominat.* Atque etiam *1.epid.sect. 2.com.8. Vult Hippocrates ipse non solùm decumbendo, sed etiam effluendo fieri abscessum.* Cúmque in quadam constitutione dixerit Hippocrates *1.epid.sect.2. text.35.36. His succedebant abscessus, aut maiores quàm vt ferri possent, aut minores quàm vt prodessent quicquam, sed redierunt, & deteriores euaserunt. Quæ autem hos infestabant, hæc erant: dysenteriæ, tenesmi, lienteriæ, & fluxiones alui.* Galenus *in comment.* notat, *stranguriam quoque abscessum esse, licèt per effluxionem, non autem per decubitum.* Itaque cùm euacuationes abscessûs nomine significamus, non dicitur simpliciter ἀπόςασις, id est, *abscessus*, sed cum additamento, ἀπόςασις καθ' ἔκρουν, id est, *apostasis, seu abscessus per effluxum.* At propriissimè, & simpliciter abscessus appellatur ἀπόςασις κατ' ἀπόθεσιν, *Apostasis, vel abscessus per decubitum.* Iccircò quoties hîc simpli

ſimpliciter, & ſine addito abſceſſum legis, de eo, qui fit per decubitum in aliquam partem, me loqui intelligito. Dico *in aliquam partem*, accipiens partis nomine, non ſolùm emunctoria, articulos, & quemlibet peculiarem corporis locum, ſed etiam vniuerſam cutim: & hæc plurimis poteſt ſcatere abſceſſibus, qui ad vnum reducuntur, vti ſunt variolæ, morbilli, ſcabies, & omnia exanthemata, vel occupatur per modum vnius, vt in icteritia: quippe Galenus etiam 3. *epid. ſect.* 1. *in hiſt. Hermocratis, ægr.* 2. *in fine*, auriginem, *abſceſſum icteriosum* appellauit.

Cap. II.

Differentia inter apoſtaſin, & metaſtaſin, quam Galenus tradit, an ſit iuxta Hippocratis doctrinam.

Ex vi vocabuli, μετάςασις, *metaſtaſis*, tranſitum & migrationem ſignificat; ἀπόςασις autem, *apoſtaſis*, interuallum ſeu digreſſionem. Placuit tamen Galeno, legiſlatorum more, aliter

ter has voces accipere : ſic enim 4. *acut.* 68. ait : *differunt inter ſe , quia* ἀπόστασις , (id eſt , *abſceſſus*) *iudicationem infert, ægrúmque à moleſtiis omnibus liberat* ; μετάστασις, (id eſt , *commutatio*). *aliarum habet principium acceſſionum, offenſionúmque, vt & aliud exigat tempus ad coctionem mali , corporis locus , ad quem infeſtantium humorum facta fuit commutatio.* Sic ille : vbi abſceſſum ad perfectam criſim ; metaſtaſin ad ſymptomaticam euacuationẽ refert. Oportuerat tamen, priuſquàm hanc conſtitueret differentiam , magni Hippocratis oraculum conſulere , apud quem nihil tale inueniret, immò prorſus oppoſitum : ſiquidem quando ait: Ὠμὰ δὲ, καὶ ἄπεπτα, καὶ ἐς κακὰς ἀποστάσιας τρεπόμενα, id eſt , *cruda verò , & inconcocta , & in malos abſceſſus cõuerſa*, ibi ἀποστάσιας, *abſceſſus* , pro ſymptomatica , non critica tranſmutatione accipit. Similiter in *Coacis* δυσεντερίη ἀκαίρως ἐπισχεθεῖσα ἀπόστασιν ποιεῖ, id eſt, *dyſenteria intẽpeſtiuè ſuppreſſa abſceſſum facit* , non quidem criticum, quia *intempeſtiuè* Fortaſſe Galenus voluit metaſtaſin intelligere humoris intra corpus manentis , & hanc aliarum habere,

habere, ait, *principium accessionum, offensionúmque.* Abscessum verò intelligit per effluxum, & hunc *iudicationem inferre*, inquit, *agrúmque à molestiis omnibus liberare.* Verùm neque sic eum omnino culpâ vacare dicemus: siquidem *abscessum* dixit simpliciter, cùm tamen *per effluxum* debuisset addere. Sed quemadmodum sæpe laudandus est, quòd multa in arte medica scitè explanauit; sic aliquando obiurgandus, quòd aliqua parum curiosè inuoluta reliquit.

CAP. III.

Materia abscessuum.

EX Hippocratis decreto 4. *aph.* 74. *Urina multa crassa, & alba, si exeat, liberat ab abscessu*, euacuatâ scilicet per vrinarias vias, materiâ, quæ in abscessum abitura erat. Quænam materia per vrinas crassas, & albas educitur? nempe pituitosa. Hæc igitur est, quæ *vtplurimùm* facit abscessus. Quòd si Galenus *de rigor. & palpit. cap.* 7. & 2. *ad Glauc. cap.* 7. erysipelata, & inflammationes

mationes in abſceſſus mutari ait, ne hinc addiſcas ex materia calida abſceſſus fieri, ſed euaporatis tenuioribus partibus materiam in alteram naturam degenerare, quod *de ſimpl. med. facult lib.7.cap.de coriandr.* expreſſit, ita inquiens: *Neque enim eryſipelas etiam vocari debet, poſteaquàm inflammatio eius, & feruor, ac bilioſum illud abierint.* Poteſt aliquis adhuc non acquieſcere: quippe in *Coacis* ita habetur: *Ex ſuppreſſa intempeſtiuè dyſenteria abſceſſus fit: ſi bilioſa, in articulis; ſi ſanguinea, in lateribus, & viſceribus.* Vnde patet, inflammationem ex ſanguine, *in lateribus, & viſceribus*; eryſipelata ex bile, *in articulis* abſceſſus appellari: fiunt quippe inflammationes *in viſceribus, & lateribus*, recurrente ſanguine ad illas partes, vti flumina ad ſuum abyſſum. Eryſipelata verò *in articulis*, quoniam bilis ſuâ tenuitate longiſſimè perreptat. Hanc autem ſententiam fuſiùs explicabo infrà *cap. vltimo huius libri.*

Solue tamen hoc dubium, in mentem reuocans, dyſenterias ſiue à ſanguine, ſiue à bile incipiant, paulo pòſt, ventriculo inteſtinis conſentiente, admixtam

admixtam habere pituitam; quod indicant mucositates, quas dysenterici solent excernere. Si igitur *intempestiuè* fluxus supprimatur,& sanguineus fuerit, secum defert pituitam, & vbicunque firmatur, abscessum pituitosi humoris participem facit. Biliosus pituitæ est vehiculum,proinde eam ad articulos defert, ibique abscessum ex materia mixta producit. Memineris tamen, me initio pituitam *vtplurimùm* materiam abscessibus præstare dixisse. Dixi *vtplurimùm*, innuens hoc præceptum, sicut pleraque in arte medica, non esse perpetuæ veritatis. Galenum etiam habeo fautorem,qui 4.*acut.com.* 17.*per abscessus*,inquit, *magis quàm per excretiones, solui febres ex pituita putrescente ortas*: apposuit *magis*, hoc est, *maiore ex parte*, quod aliquando aliter fieri posse non impedit. Quando igitur idem Galenus 1. *epid.sect.2.com.35*.ait, *vbi multa sit inconcoctorum humorum copia, abscessûs fieri*: intelligito *magis*, quàm si sit copia biliosorum; id enim quod frequens est,non excludit oppositum, sed eius raritatem significat. Itaque dixit abscessus fieri ab inconcoctis,

coctis, insinuans id quod frequenter accidit, contemnens quod rarò.

Cap. IV.

Futuræ crisis per abscessum cognitio.

Communissima signa sunt, quæ futuram crisim significant. Communia vocat Galenus 3. *cris. cap. vlt.* quæ per abscessum; propria, quæ per quem locum fieri debeat ostendunt. Hoc ordine mihi videtur Hippocrates procedere, 6. *epid. sect.* 2. *text.* 17. priùs enim signa futuræ crisis commemorat, vt sunt *venæ temporum non firmatæ*: quippe Galenus 1. *de art. curat. ad Glauc. cap.* 15. inter signa iudicationis, *venas temporum pulsantes* recenset, cui adstipulatur Paulus *lib.* 4. *cap.* 9. Addit Hippocr. *neque viriditas splendens.* Alibi idem, nempe 4. *epid.* hæc eadem signa iudicationis statuit, inquiens: *venæ temporum, & contractiones, & colorum mutationes ante iudicationes, ex rubro ad viridem, ac pallidum.* Adiungit aliud iudicationis signum, *si spiritus intus re-*

linquitur, hoc eſt, difficultatem reſpirationis, quam Galenus *lib.* 1. *ad Glauc. cap.* 15. & 3. *criſ. cap.* 11. inter futuræ criſis ſigna connumerat. Porrò hæc tria commemorata, ideò futuræ criſis ſigna ſunt, quòd perturbationem, & ſubinde pugnam naturæ cum morbo oſtendunt. Nam perturbationes, quæ in particularium acceſſionum initiis fieri ſolent, eadem initio iudicationis, quæ particulari acceſſioni correſpondet, accidunt.

Poſtquam verò futuram criſin ſignificantia ſigna attulit, vnum apponit ſignum ſignificans decretorium abſceſſum: illud eſt *tuſſis ſicca non ferina*, quam etiam commemorat eodem 6. *epid. ſect.* 7. Si verò huius ſigni rationem quæras, accipe pro hypotheſi, tuſſim iſtam fieri ex materia craſſa, & lenta, quæ expurgari quidem nequit; aut ex aquoſa, quæ etiam tuſſis impetum effugiens non proiicitur; (quod enim proiici debet, reſiſtat oportet) tunc adde, ſi nihil excreatu, aut copioſâ mictione effundatur, abſceſſus neceſſariò fiet, & hoc vel maximè fiet, ſi uſſis non ſolùm *ſicca* fuerit, ſed etiam non

non *ferina*, hoc eſt, non *maligna*, etenim ſi maligna eſt, iudicatio aliter quàm per abſceſſum fiet: quippe (vt mox dicemus) abſceſsûs ſperantur in morbo ſalubri. His ſignis Hippocrates, ſuum ſeruans ordinem, poſtremò adiungit ſignum loci, in quo futurus eſt abſceſſus, de quo in *capite ſequente*. Interim conditiones tibi offeram, quas recipere eſt opus, vt criſis per abſceſſum præcognoſcatur.

Prima conditio, vt morbus, in quo expectatur criſis, ſit ſaluber: *quis enim* (inquit Gal. 1. *ad Glauc. citato*) *bonam criſin in morbo pernicioſo expectauerit?* Morbi omnes vel coctu facilem habent materiam, & ſubinde ſunt ſalubres; vel difficilem: & iſti vel ſalubres ſunt ſed diuturni, vel pernicioſi. Qui coctu facilem materiam habent, vel iudicantur *κατ' ἔκρυσιν*, id eſt, *per effluxum*, vel ſoluuntur, hoc eſt, per ſimplicem tranſpirationem terminantur. Qui verò difficilem, & ſunt pernicioſi, poſſunt quidem habere abſceſſus, ſed non bonos; qui verò difficilem, & ſalubres ſunt, abſceſſus ſalutares habere poſſunt, ac proinde per abſceſſus iudicari. Hæc

igitur erit prima conditio ad expectandam crisin per abſceſſum, nempe vt morbus ſit ad ſalutem procliuis: eam reperies apud Hippocratem 3. *progn.* 23. his verbis: *Si qua verò febris prorogetur, ſaluo facto homine, nec dolore detinente aut ob inflammationem, aut ob aliam aliquam occaſionem euidentem, expectare oportet abſceſſum, &c.* Vbi noto dictum, *ſaluo facto homine*, quod conſonat cum iis, quæ iam in alio prognoſtico ſcripſerat, nempe 2. *progn.* 65. enumerans enim conditiones futuri abſceſsûs, adiungit, *promittitur verò ſalutaris* (nempe febris) *ab omnibus aliis ſignis ſalutaribus; his tales fore abſceſsûs ſperandum eſt*: intelligito tamen abſceſſus bonos, & iudicatorios; nam praui, & ſymptomatici etiam in pernicioſis apparent, vt de peſtilentibus dicemus.

Sed quænam ſunt iſthæc ſigna ſalutaria? nempe quæ deſumuntur ex facili tolerantia, bono decubitu, ſomno, ſitis priuatione, pulſu bono, & tandem *mente conſtare, & bene ſe habere ad ea quæ offeruntur.* Multa ex his affert Hippocrates in prognoſticis, 2. *prog.* 65. & 66. Aduerte

66. Aduerte tamen, ſigna, quæ ex facili reſpiratione, & hypochondriorum ſalubritate, aſſumuntur, non ſolùm abſceſſum, ſed etiam (vt dicemus) abſceſsûs locum præoſtendere. Non autem quærenda ſunt ſigna, quæ morbi diſceſſum ſignificant: nam hæc non poſſunt conuenire cum vrina cruda, quam futuros abſceſſus ſignificare dixit Hippocrates 2. *progn.* 34. his verbis: *Qui tenues, crudáſque diutius vrinas mingunt, ſi cætera vt in conualituris indicia fuerint, in iis abſceſſum ad ſedes infra præcordia expectare oportet*: vbi noto, *ſi cætera vt in conualituris*, hoc eſt, ſi reliqua *ſalutaria* ſint.

Ex huiuſcemodi vrinis, quæ *cruda diutius minguntur*, accipitur ſecunda futurorum abſceſſuum conditio: nempe morbi longitudo. Tales enim diuturnitatem morbi oſtendunt: & morbis diuturnis abſceſſus fiunt; nam (vt Galenus 3. *criſ. cap.* 10. & 3. *aph.* 36. dixit) *acuti morbi per excretionem, longi per coctionem, & abſceſſus iudicantur:* longi (inquam) & faciles per coctionem, hoc eſt, ſine criſi; longi & difficiliores criſi facta per abſceſſus.

Didicit hoc ab auctore magno, cuius hæc est sententia 3. *aph.23. Quibus febres longæ, his tubercula, vel labores in articulis fiunt:* idem intelligit, cum ait 4. *aph.44. Siqua febris prorogetur, saluo facto homine, &c.* Longitudinis mensura ab eodem addiscenda est: nempe vt vigesimam diem morbus transeat. *Vbi morbus* (inquit ille, 3. *progn.25.*) *vigesimum diem transiit, abscessus expectare licet:* quippe vltra hunc terminum frigidior morbus esse incipit. Verùm oppones, ex *lib.4. aph.51. In febribus abscessus, qui ad primas iudicationes non soluunt, morbi longitudinem significant.* Vnde colligitur, abscesſûs fieri in primis diebus iudicatorijs, ac proinde non expectandam longitudinem febris, quæ eos significet, verùm ipsos longitudinem significare. Varij variè hanc sententiam explicant, & quidam *soluunt* actiuè, alij *soluuntur* passiuè legunt, vtrumque tolerante verbo λύομαι, id est, *redimo, libero, soluo.* Cæterùm actiuè legendum puto, cum bonis expositoribus, & solutionem non abscesſûs, sed febris intelligendam. Per primas autem iudicationes, intelligi

primas

primas in quibus fiunt, hoc eſt, ſi abſceſſus v.g. contingens die vigeſimo non ſoluat tunc febrem, ſed ſolutio differatur, iam non poteſt non eſſe cum morbi diuturnitate: quippe eſt decretorium non decernens, quod quidem, quatenus abſceſſus eſt, fit in morbo ſalubri, propterea non poteſt mortem ſignificare; ſignificabit ergo difficile iudicium, hoc eſt, longitudinem.

Tertia conditio, vt febris ſit κοπώδης, hoc eſt, *laſſitudinaria*, iuxta alium aphoriſmum, 4. *aph.* 31. *Laſſitudinem habentibus in febribus, in articulos, & circa maxillas potiſſimùm abſceſſus fiunt.* Sunt autem hæ febres κοπώδεις, laſſitudinales, vel laſſitudinariæ appellatæ, non quæ à labore fiunt immodico, ſiue aſſuetus ſit, ſiue inſuetus, hæc enim laſſitudo ἁπλῶς dicta, ſæpe ardentium febrium cauſa eſt, atque comes, febris autem ardens (vt dixi) magis iudicatur κατ' ἔκρουν quàm κατ' ἀπόθεσιν: Sed quibus coniunctus eſt κόπος αὐτόματος, laſſitudo ſpontanea, atque hæc quidem non quæ febrem præcedit, ſed quæ eiuſdem eſt epigenomenon. Accidit autem, cùm materia à venis ad muſ-

culos propagatur. Et hæc interpretatio Galeni interpretationi aduersatur, qui voluit frequentiores fieri abscessus in febribus, quas lassitudo à causa manifesta orta excitauit; quippe in his caliditas adest articulorum, quâ ad se trahunt materiam, vnde abscessus fiunt: aliam verò febrem, quam lassitudines spontaneæ præcesserunt, communi duntaxat ratione, per abscessus terminari censet; nempe quia ampla articulorum spatia promptè se habent ad abscessus recipiendos. Veruntamen considerare debuerat inprimis ideam febris: quippe in ea quæ à præcedente labore accidit, acuta cùm sit, atque ex magna tum iecoris, tum cordis, & omnium membrorum phlogosi procedat, biliosa materia abundans excretionem expostulat. Deinde etiam lassitudinem spontaneam quandam esse, quæ futuros morbos prænuntiat, & hæc vel est τονώδης, id est, tensiua, quam plenitudo facit; vel ἑλκώδης, id est, vlcerosa, & fit à cacochymia; vel φλεγμονώδης, & ab vtrâque causa fit. Alia est quæ superuenit febribus, vtplurimùm à fluxione putridorum

tridorum humorum, & calore liquatorum genita, quæ tantò laboriosior est, quantò ægrum magis defatigatum suscipit; tantò etiam curatu difficilior, quantò iam causam magis impressam habet.

Quarta conditio est, vt sit febris continua, quod etiam ex magni dictatoris decreto habemus, sic enim 3. *progn.*27. pronuntiauit: *Oportet autem talem expectari abscessum per febrem continuam: in quartanam verò discessuram esse, quoties intermittat, prehendátque errabilem in modum.* Hoc Galenus tum in *commento*, tum 3. *crif. cap.*11. libenter recipit. Si autem quæras, cur continuis, non autem intermittentibus, accidant abscessus, in promptu causa est. In continua, humor intra vasa inclusus continetur, quem si natura euacuare nequit, saltem ad ignobiles partes satagit detrudere, vt venas ab ea sarcina exoneret: abscessûs autem ita fiunt, nempe humoribus à vasis ad partes ignobiles depulsis. In intermittentibus, extra vasa, & subinde in loco ignobili putrescit materia, quam natura in alium locum transferre non laborat., sed ibi

eam vel diſcutere, & ſic febris ſimplice ſolutione terminatur; vel coquere, vt ita morbus, aliquâ euacuatione per loca conferentia factâ, iudicetur.

Quinta conditio, Anni tempus: quamuis enim omni tempore per abſceſſus morbi poſſint iudicari, nihilominus non ita commodè, nec ita frequenter in aliis, ſicut in hyeme. Ideò ab Hippocrate eſt dictum 3. *progn.* 29. *Abſceſſus hyeme fiunt magis, tardiúſque deſinunt, ac minùs recurrunt*, quod humori tunc dominanti, videlicet pituitæ, conuenientiſſimum eſt. Iam enim diximus, pituitam, magis quàm alios humores, abſceſſibus materiam præſtare. Quod autem tardiùs deſinant, pituita etiam facit; ſicut etiam quod non recurrant. Sed de recurſu ſeorſim dicemus.

Accedit ad facilem abſceſſuum exitum, non exiguum adiumentum ætas. Siquidem 3. *progn.* 24. & 28. *Talis abſceſſus magis, ac minore tempore euenit iunioribus, quàm trigeſimum annum agentibus.* Et quamuis in *Coacis* iubeat *expectari abſceſſus, in iis qui trigeſimum annum ſuperârunt*: non magni momenti

menti contradictio eſt; neque enim omnes æqualiter ſuarum ætatum terminos tranſcurrunt, ſed alij tardiùs, alij verò citiùs: ideò Galenus *primum terminum conuerſionis*, ait, *ad habitum frigidiorem eſſe trigeſimum, nouiſſimum verò trigeſimum quintum.*

Sed ſi ante trigeſimum annum, vel ſaltem circa trigeſimum, expectari abſceſſum iubet, cur 1. *progn.* 33. & 3. *progn.* 12. ſanguinis fluorem è naribus in iunioribus, & trigeſimum quintum agentibus annum, iubet expectari? Ad decernendum hoc, non ſolùm ad ætatem, hoc eſt, ad robur, nec ſolùm ad humoris naturam, ſed ad vtrumque ſimul reſpicere oportet. Nam vbi facultas iuuenilis fuerit, hoc eſt, robuſta, & humor calidus, excretio fit, nempe vel ſanguinis è naribus, vel alterius humoris, per deſtinatas à natura vias. Si frigidus, vel concoquitur, & ita ſimplex accidit ſolutio, vel abſcedit, & fit abſceſſus. Et en tibi in iuuenili corpore abſceſſus, videlicet ex humore frigido. Si virtus ſit debilis, qualis in ætate ſenili, rarò humor calidus prædominium habet; ſi verò aliquando

 habeat,

habeat, tunc morbus aut erit saluber, aut perniciosus: in pernicioso, nihil bonum expectato; in salubri, abscessum: & ecce abscessus ex humore calido, ob virium infirmitatem, in ætate senili. Cùm audis ex humore calido, & ætate senili, ne calidissimum tenuissimúmq; consideres, sed eum qui seni est calidus, talis autem iuueni forsitan non foret. Restat adhuc humor frigidus in senibus: hic in valde senibus coctionem non admittit, propterea 2.*aph*.40.*raucedines, & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt*; at in senibus, quibus cruda adest, viridísque senectus, concoquetur, sed tardè. Media ætas cum frigidis humoribus, si valenter agat, abscessum facit; cum calidis, licèt valenter non agat, abscessus emerget.

Demum signis futuram crisin per abscessum indicantibus, (nequid in hanc rem deesse videatur) adiunge signum ex pulsibus, quod Galeno acceptum refertur: inquit enim, in sua *synopsi, ad finem: Vbi autem pituitosior morbus sit, quando ex inæqualibus pulsibus mutatio in plures, vehementes, & magnos fit, per abscessum erit crisis.* Cæterùm

terùm (vt ingenuè loquar) non video, cur magis pulſus iſti criſin per abſceſſum, quàm per euacuationem ſignificent.

Pro coronide etiam adiicito ſigna ſumpta ex ceſſatione dolorum ſine excretione. Adiunge etiam ſuppreſſionem aliarum euacuationum. Et peculiariter ſi abſceſſus futuri ſunt parotides, horum ſigna eſſe coma, aut ſurditatem. Tandem ſi futuri abſceſſus ſigna quæpiam adſint, nec abſceſſus ſequatur, malignitati id tribuito, ideò in *Coacis, Quæ ſigna futuri abſceſsûs, ſi ab iis non ſequatur abſceſſus, malignum.*

CAP. V.

Præcognitio loci, in quo futurus ſit abſceſſus.

PRoſequitur Hippocrates in *6. epid. citato*, & poſtquam ſigna futuræ criſis, & ſigna criſis per abſceſſum aliqua recenſuit, accedit ad ſigna, quæ locum futuri abſceſsûs præmonſtrant, inquiens, *expectare oportet ſecundum diſtentionum rectum inceſſum, quæ in ven-*

tre fiunt. Hoc eſt, vt Galenus in *com.* ait: *Vtrùm in dextram corporis partem, an in ſiniſtram morbi abſceſſus futurus ſit: huiuſmodi namque diſtentiones ſecundum ipſarum rectum ſitum, abſceſsûs fore nunciant*. Cùm enim (vt idem Galenus 4. *de præſ. ex pulſ. cap. vlt.*) ſpectandas eſſe dicat *inclinationes naturæ*, & *ſect.* 3. *prorrh. com.* 71. humorum conſiderandam *inclinationem*, ad quam videlicet fiat partem; cùm rurſus *inclinatio* ſemper κατ' ἴξιν, id eſt, ſecundum rectum dirigatur, documentum hoc optimum eſt, quo iubemur abſceſſus futuros expectare verſus eam partem, quæ cum parte priùs patiẽte rectitudinem quandam habet. Atque ita habes modum præcognoſcendi, num dextrorſum, an ſiniſtrorſum abſceſſus futurus ſit.

Vtrùm verò ſurſum, an deorſum, accipe ab Hippocrate, qui 2. *progn.* 66. id in peripneumonia præcipuè docet præcognoſcere, inquiens: *Abſceſſus fiũt, hi quidem ad infernas regiones, quibus aliqua inflammatio circa hypochondria adſit*, nam hypochondria inflammata iam indicant è pulmone deſcendiſſe materiam, quæ protinus magis deſcendet;

det, & ad inferna dilabetur: *Ille verò ad supernas, quibus hypochondrium quidem molle, & doloris expers sit, difficultas autem spirandi aliquo tempore facta, desierit sine occasione aliqua.* Si verò materia ad hypochondrium non descendat, quod indicat hypochondrij λαπαρότης, *mollities*, & ἀνωδυνία, doloris vacuitas, & tamen ἄπνοια, difficultas respirandi, sine manifesta causa cesset, signum est aliorsum, nempe sursum materiam tendere: si difficultas, inquam, respirandi cesset, non quidem omnino, nam in peripneumonia semper adest, (at tunc increuerat, & solito maior erat) fiátque sine manifesta causa derepentè minor; in aliis verò morbis, in quibus difficultas respirandi non necessariò adest, si adsit, & posteà cesset, nec malum ad hypochondria dilabatur, ad superna ascendit, atque ad glandulas, vel quæ retrò aures, vel quæ sub mento sunt, se recipiet.

Porrò si frigidi, & crassi humoris signa adsint, decubitûs ad partes inferiores prædicendi sunt, ideò Hippocrates 3. *progn.* 23. *Si febris prorogetur saluè affecto homine*, quod humorem frigidum,

frigidum, crassæque naturæ indicat; abscessum expectari iubet *ad aliquem articulum, maximè inferiorem.*

Hoc tamen signum suam exceptionem habet: nam Hippocrates 2. *progn.* 67. in peripneumonia, qui affectus à calido fit humore, laudat *abscessûs qui ad crura fiunt.* Ad crurâne humor calidus? maximè: vbi natura valde robusta humores etiam tenues, contra natiuam eorum propensionem ad loca inferiora, & quoad potest, procul à membris nobilibus detrudit. Nónne natura robusta poterat excretionem moliri? poterat quidem, si omnino victrix exultaret, hoc est, coctione peracta. Verùm Hippocrates non supponit hos abscessûs, cocto humore apparere, sed vel crudâ adhuc existente materiâ, vel saltem semicrudâ: inquit enim. *Abscessus qui ad crura fiunt, in pulmoniis vehementibus, ac periculosis, omnes vtiles sunt; optimi verò, qui, vbi screatio iam in mutatione est, fiunt.* Dixit, *in mutatione est*, insinuans abscessum optimum apparere, cùm incipit coctio; abscessu autem apparente, coctio prosequitur. Iccircò adiungit: *Si enim œdema ac dolor*

dolor fiat, & ſcreatio pro flaua purulenta exiſtat, ac foràs excernatur, ita ſecuriſſimè, & homo ſupererit, & item abſceſſus citiſſimè citra dolorem deſiſtet. Quaſi dicat, apparente œdemate, & dolore, hoc eſt, abſceſſu, ſputi concoctio in melius abibit, & pro flaua fiet purulenta: ex quo duo bona ſequentur, vnum ſecuritas à morbo, alterum facilis ſanatio abſceſſus. Pergit tandem: *At ſi excreatio non rectè excernatur, nec vrina videatur bonum habere ſedimentum, periculum clauditatis in articulo, vel multi negotij imminet.* Hoc eſt, ſi tota materia inconcocta decumbat in articulum, neque pars aliqua cocta per ſputum expurgetur, periculum eſt ne in malos abſceſſus abeat, & pars putrefacta decidat, aut amputetur, vnde neceſſe ſit patientem claudicare.

Itaque materia non frigida poteſt à natura robuſta, ante coctionem, propelli ad inferiores partes: poteſt & à non admodum robuſta, in ſuperioribus abſceſſus moliri. Hoc patet exemplo in febribus quæ κοπώδεις appellantur, hoc eſt, *laſſitudinaria*, quippe in his 4. *aph.* 31. *in articulis, & circa maxillas potiſſimum*

tissimùm abscessus fiunt. Hoc verò contingit, (inquit Galenus , in *com.*) *propter eam quæ in corpore est caliditatem , relatâ multitudine ad caput; mox inde suscipientibus illis, qui circa maxillas adenes sunt; sicuti qui circa inguina, & alas sunt, quando ad illas partes multitudo peruenerit.*

In conualescentibus etiam est cognoscendi modus , in quam partem humor decumbat , ex 4.*aph.* 32. *Quibuscunque resurgentibus ex morbis, siquid laborauerit , hîc fiunt abscessus.* Quod etiam contingit aliis, antequàm incidant in morbum, 4.*aph.* 33. *Si ante morbum aliqua pars laborauerit , hîc morbus firmatur.*

Cap. VI.

Abscessus qui boni , qui praui.

QVamuis cùm Hippocrates 1.*epid. sect.*2.*text.* 35. 36.ait : *His succedebant abscessus , aut maiores , quàm vt ferri possent , aut minores , quàm vt prodessent quicquam*, Galenus hanc sententiam ad abscessus per effluxum trahat; nihilominus longè magis abscessibus per

per decubitum, poteſt accommodari: quippe paruitas, aut magnitudo, in abſceſſu per decubitum, non ſolùm conſideratur iuxta paucitatem, aut multitudinem fluentis materiæ, (in quo abſceſſus per effluxum, & per decubitum conueniunt) ſed etiam in maiore, aut minore loci, in quem decubitus fit, capacitate.

Itaque abſceſſus ἀξιόλογος, id eſt, æſtimabilis, plures debet habere conditiones: prima eſt, vt ſit ἀντίρροπος καὶ ἰσόρροπος, id eſt, *æquilibris* ſeu *æquiualens*. Nam & magnitudine poteſt, & paruitate ſuâ nocere: *Magnitudine*, ſiue magnitudinis nomine intelligas magnam circumferentiam, ſeu malignitatem, ſeu partis præcipuæ læſionem (quæ ſunt tres morbi magni acceptiones) ſemper æger à priore morbo fatigatus, abſceſſui ferendo eſt ineptus. *Paruitate*, quâ abſceſsûs ἡμίρροποι, id eſt, *ſemiflui*, nec rependentes, morbum ſuperſtitem relinquunt, ægrum ſuperſtitem eſſe non ſinunt. Ideò Hippocrates 2.*progn*.9.ait: *ſi verò digiti, ac pedes omnino nigreſcant, minùs pernicioſi ſunt.* Damnauerat priùs liuorem *in vnguibus*,

&

& digitis, nunc minùs damnosum esse ait, nigrorem *in digitis simul, & pedibus*. Nonne nigrities liuore deterior est? ita sanè: nam liuor via est ad nigritiem. Cur ergo magis damnat liuorem, quàm nigredinem? Nempe quia liuor supponitur esse in vnguibus, & digitis, quæ non habent satis amplam recipiendæ materiæ capacitatem; digiti verò simul cum pedibus habent. Ita vt quamuis ratione materiæ, nigrities deterior sit; ratione loci, liuor, tanquam abscessûs minoris quàm oportet, damnetur.

Esto tamen, vt materia totos occupans pedes, minùs praua censeatur, quàm si exiguum occuparet locum. Cæterùm cur tumor aliquis in febre, potest immensitatem materiæ febrem facientis exhaurire? An quia materiæ aliqua portio, quâ natura exoneratur, illuc decumbit, exonerata verò natura potest aliam rursus transmittere, quæ partim discussione, partim suppuratione educitur: pars alia in priore minera remanens, non tanta est, quin possit à natura iam suo munere fungente emendari?

Adhuc.

Adhuc restat dubitandi ratio: nam sic quilibet minimus locus sufficiet ad recipiendum naturæ impetum, & subinde non est cur in abscessu damnetur particula minùs capax. Hoc non admittam, nam priorem naturæ sese exonerantis impetum particula exigua non capit, ac proinde datur palindromæ occasio. Quòd si Moscho 7. *epid.* contigit, vt oberto in superiore palpebra hordeolo, à calculoso affectu, cui obnoxius erat, liber penitus euaserit: id accidit, quoniam natura partis incapacitatem, numero abscessuum compensauit: quippe & iuxta aurem, & infrà in ceruice, bubones secundum rectitudinem apparuerunt.

Altera conditio, quæ communis est omnibus euacuationibus, est, vt quoad fieri possit, fiat κατ' ἴξιν, id est, *secundum rectum*, saltem vt nunquam fiat ἀνάπαλιν, id est, *ex aduerso*. Adeò autem potens est rectitudo, vt 1. *epid. sect.* 3. *ægr.* 7. Metoni, qui die quintâ absque signis coctionis iudicatus est, sanguine fluente secundum rectum, iudicatio perfecta facta fuerit. Erat vrina nigra, & nigrum contentum, signa lienis affecti, *fluxit*

fluxit sanguis ex sinistra nare largus, merus.

Tertia conditio, quæ etiam communis est abscessibus per effluxum, est vt fiant præcedente coctione. Sed quomodo in abscessibus præcedet coctio, si per *tenues crudásque vrinas diutius mictas* significentur? Non negat Hippocrates 2. *progn.* 34. post has vrinas crudas, alias coctas apparere, quibus abscessus significetur: quippe *citra coctionē, nec abscessum, nec aliam quampiam iudicationem rectè fieri posse*, Galenus ait 3. *epid. sect.* 1. *com.* 5. Sed quænam coctio requiritur, vt abscessu morbus iudicetur? Profectò non perfecta: Verùm sicut non omnimoda cruditas esse debet, ita nec exacta coctio; etenim si ad optimam coctionem respicias, vrinæ, quæ (vt Galenus tradit 1. *prorrh. sect.* 3. *com.* 71.) *secundum naturam habent, atque præter id pendens album continent, coctum morbum esse indicant absque abscessu. Oportet igitur* (adiungit ille) *eas nec prorsus incoctas, nec absolutè coctas esse, vbi natura abscessum factura sit.* Esto igitur vt initio sint tenues, atque omnino cru-

dæ,

dæ, & tales diu perſeuerent: tandem tamen, ſi iudicatio per abſceſſum futura eſt, oportet eas aliquid de tenuitate,& ſubinde de cruditate remittere. Hoc Pythionis exemplo comprobatur, 3.*epid.ſect.* 1. *ægrot.* 1. *Vrinæ à primo ad octauum vſque diem tenues,decolores, quæ ſuſpenſionem habebant nubiloſam. Decimo ſudauit, ſputa ſubcocta, iudicatus eſt, vrinæ circa iudicium ſubtenues. Quadrageſimo à iudicio die ſuppuratio circa ſedem,& ſtrangurioſus factus eſt abſceſſus.* Si rectè animaduertis,priùs vrinæ fuerunt tenues,circa iudicium autem ſubtenues,hoc eſt, minùs crudæ; ſequuta autem fuit iudicatio per abſceſſum iuxta ſedem.

Quarta conditio, vt abſceſſus non ἀνάῤῥοπον, id eſt,ſurſum fiat, ſed κατάῤῥοπον, id eſt, deorſum: ſic Hippoc. 2. *epid.ſect.* 1. *Optimi autem potiſſimùm ſunt, qui deorſum vergunt.* Et hæc conditio eadem eſt cum alia, quâ abſceſſus laudat, quibus à nobilioribus ad minùs nobiles partes fit decubitus: quippe infernæ partes ignobiliores ſunt, infernæ (inquam) vt Hippocrates declarat 2. *progn.* 34. *quæ ſepto tranſuerſo inferiores*

feriores existunt, hoc est, *inferiores absolutè* iuxta situm, quem omnes partes in corpore habent. Si enim *non absolutè dicas, sed respectu habito ad superiores laborantes*, errabis: nam multoties contingit, partem inferiorem quidem esse, sed abscessum periculosiorem, E. g. si à collo ad pulmonem humor decumbat, si ab hepate ad renes, vel vterum; in quibus casibus (vt vides) pars ad quam decubitus fit, inferior est, verumtamen quæ periculosiùs ægrotat.

Quod ergo legis apud Hippocratem 2. *epid. citato*, eos abscessûs laudabiles esse, *qui infra morbum fiunt*, intellige, dummodò pars ad quam materia decumbit, sit minùs periculo obnoxia. Hoc declarat exemplo: *Velut varices, & lumborum grauitates ex supernis*. Itaque si ratione partis non adsit maius damnum, sanè ratione motûs semper inferior locus aptissimus est: quippe humoris, (præcipuè crassi) pondus ad inferiora vergit.

Sunt autem partes infra septum transuersum ignobiliores: quia suprà membra animalia, ac vitalia sunt, à quibus naturalia, quæ sunt infrà, nobilitate

te ſuperantur. Adeò autem ignobiliora loca contemnuntur, vt, licèt ex abſceſſu claudicet ægrotus, nihilominus in pede eueniat, optatur; melius enim eſt partem ignobilem pati, & ægrum claudum remanere, quàm affici partem nobilem, & ægrum ad interitum deduci. Audi Gal. 6. *epid. ſect.* 2. *com.* 14. dicentem: *Ideò vtplurimum abſceſſus in ſuperioribus excitati, difficiliores ſunt, quòd membra illa maius quàm inferiora diſcrimen afferant, cùm vtraque eodem affectu vexata ſunt: ſiue enim cerebrum, ſiue guttur, aut gula, aut pulmo, aut pectus, aut cor, inflammata ſunt, mortifera ægritudo eſt; membris infra iecur inflammatis, pauci admodum pereunt, potiſſimùm ſi recta curatio adhibeatur.*

Forſitan ex hiſtoria Moſchi, quem diximus ex hordeolo in palpebra ſuperiore, & aliis tumoribus iuxta aurem, & infra ceruicem obortis, à calculoſo affectu fuiſſe liberatum, accipies occaſionem dicendi, aliquando etiam decubitum ad ſuperiora vergẽtem, laudabilem eſſe: nam à renibus, ad oculos, aures, ceruicémque, quid niſi materiæ aſcenſum cognoſcimus? Verùm

non fuit ad hos abſceſſus tranſmiſſa materia illa, quæ in renibus negotium faciebat, ſed quæ è cerebro in renes ſolita erat cadere: cerebrum namque, quod pituitæ metropolim appellauit Hippocrates, multorum morborum (ſaltem eorum qui pituitoſi ſunt) cauſa eſt, ac proinde potuit deriuatio materiæ pituitoſæ à cerebro, ad partes vicinas quidem, ſed inferiores prodeſſe.

Demum hoc ignobilitatis nomine, & propenſione naturæ, laudantur omnes externæ partes: quippe hæ & ignobiles ſunt, & promptam naturam habent, quæ interiorum magis ſolicita, malum ad exteriora depellit.

Sed & quinta conditio, huic adhæret, vt ſcilicet materia fluens *quàm longiſſimè à morbo abſcedat*, 2. *epid. citato*. Hoc enim non fit niſi à natura valente, & rectè ſuo munere fungente; atque ita bonum eſt ſignum: bona etiam cauſa, quoniam quæ procul fiunt, non præſtant priori morbo fomentum; quæ verò proximè, ſemper fumando conſeruant prioris morbi vehementiam, *& mala vicini pecoris contagia lædunt.*

Denique

Denique ſexta, & vltima conditio, communis etiam aliis, eſt *conferentia, & tolerantia*: quod Hippocrates ita pronunciat 4. *epid. Maturi in morbis abſceſsûs an iudicent, ſignum, eſt, ſi febriculoſa exiſtentia non febricitant, & difficilis tolerantiæ exiſtentia, facilè ferunt.* Quaſi diceret, vt abſceſſus ſint indicatorij, hoc ſignum eſt: nempe ſi aderat febris, & aufertur febris, & quæ difficilis tolerantia erat, fit facilis.

Verùm hîc ſe offert dubitatio: Nam iſti abſceſſus iudicatorij, *maturi* dicuntur ab Hippocrate, hoc eſt, ſuppurati, (nam reuerà ſuppuratio in abſceſſibus expetenda eſt.) At in ſuppuratione 2. *aph.* 47. *dolores, & febres fiunt.* Quomodo ergo poſſunt febrem ſoluere, dolorémque, ex quo difficilis tolerantia ſequitur, mitigare? Poſſunt quidem: quippe febris ad ſuppurationem accedens, ephemera eſt; dolor autem non perſeuerat: quare expectandum eſt, donec tempus tranſeat, quo materia ſuppuratur. Hoc tranſacto, nec febris, nec dolor, ſi abſceſſus iudicatorius eſt, ampliùs debent remanere; ſin ſymptomaticus, tunc malignior redditur febris, & do-

lor fit maior. Dolor prauum eſt ſymptoma,cui,ſi adſit materiæ in coquendo contumacia, nihil deterius, ratione abſceſsûs,euenire poteſt;febris autem, quoniam iam eam non eſſe ephemeram pro hypotheſi ſtatuimus, praua erit,ex Hippocratis decreto,4.*aph.*55.

CAP. VII.

Quæ criſis ſit melior, per effluxum, an per decubitum.

POteris ex ſuperiùs dictis colligere, eas materiæ tranſpoſitiones, quæ principium nouarum affectionum afferunt, eſſe damnabiles: tales verò ſunt eæ,quæ per decubitum fiunt;quippe in loco, in quem decumbit humor, noua incipit ægritudo. Hinc igitur conſtat, criſes per decubitum eſſe minùs optandas,quàm per effluxum:maximè,quia ex priore morbo, ægrotum, morbus ſuccedens, defatigatum accipit, quod Hippocrates adnotauit in *libello de affectibus*. Vbi mihi videtur criſin per decubitum hac ratione damnare,nam præterquam quòd ægrotum, ait,

ait, imbecillitate à priore morbo contractâ, posse perire, antequàm posterior desinat: adiungit inferiùs, *iudicari in morbis est, cùm morbi augescunt, aut marcescunt, aut in alium morbum transeunt, aut desinunt.* Horum verborum explicationem sic accipe: Crises fiunt, vel ad melius, id est, cùm morbi *marcescunt*, ad peius verò *cùm augescunt*, ad sanitatem *cùm desinunt*, ad mortem, *cùm in alium morbum transeunt.* Quod quamuis perpetuum non sit, est tamen eo nomine verum, quo iam dixerat, *præ imbecillitate perit, antequàm alter morbus, qui posterior accessit, desinat.*

Est & alia ratio, quæ crisin per decubitum, tanquam imperfectam, minùs laudabilem, quàm crisin per effluxum nobis repræsentat, nempe quia, vt manet exploratum, ad crisin per decubitum satis est, si morbum faciens materia semicocta appareat, ad crisin per effluxum requiritur perfecta coctio. Itaq; cùm duplex sit crisis, κατ' ἔκκρισιν, *per excretionem*, & κατ' ἀπόστασιν, *per decubitum*: illa omnes habet conditiones, quæ ad bonam crisin requiruntur; hæc autem, quantumuis morbum soluat, &

in die decretorio fiat, nihilominus duobus nominibus imperfecta censetur, tum quia fit non præcedente perfectâ, sed imperfectâ coctione, tum etiam quoniam ægrotantis labores non finit, sed restat adhuc noua molestia, E.g. si in pedem decumbat humor, ex Hippoc. documento, *periculum claudicationis, & maioris negotij.*

Cap. VIII.

Parotides rarò prodesse possunt.

OMnes ferè praui abscessus conditiones insunt iis, qui retrò aures protuberant. Sunt, fateor, ibi glandulæ, & cauitas illa emunctorium cerebri appellatur. Verumtamen venæ, arteriæque ferè innumeræ iuxta transeuntes calorem impertiuntur, & subinde dolorem, quare minùs tutus est humoris, in hanc partem receptus. Præterea locus est in vicinia cerebri, & in superiore corporis arce: Cuncta hæc bonis conditionibus aduersantur: quippe materia in hoc spatio neque multa, neque sine reuersionis periculo, neque deorsum,

deorſum, neque procul à parte affecta, ſe recipit. Non, (inquam) multa: quoniam vt Galenus ait 1. *prorrh. ſect.* 3. *com.* 68. *parotides affectu minores ſunt*; ſine periculo reuerſionis, propter vaſa multa, multum propinqua; non deorſum, quoniam (vt *ibidem* Galenus adiungit) *per parotides non fit ad inferiora deuolutio*, ſed morbus remanet in altiſſimæ arcis parte, nempe in auribus; non procul, quippe cùm fiant retro aures, locus iſte, cum cerebro vicinitatem maximam habet. Nihilominus aliquando proſunt, vt propterea Caſſius *probl.* 30. eas διδύμους, id eſt, *geminos* appellet, fauſto ſalutis oſtento: velut enim duo ſydera, *Caſtor, & Pollux*, gemini fratres, deſinente in ſerenitatem procellâ apparent, ita aliquando ſecum parotides ferunt ſanitatem.

Cap. IX.

Conditio quæ requiritur, vt parotides ſint vtiles.

SI de parotidibus, quæ febribus accidunt, loquamur, vt vtiles eſſe

poſſint, neceſſe eſt, non ſolùm earum materiam ſuppurationem ſubire, ſed ſimul febrem facientem humorem coctionis notas de ſe præbere. Si enim alterutrum ex his deſit, infida eſt; quæ per parotides iudicatio fit. Poſſe autem febrem deſinere, parotidibus non ſuppuratis, ſed aliâ eaacuatione, ita Hippoc. 1. *epid. ſect.* 2. *text.* 81. *Tubercula ſecundum aures, quæ in febribus cum dolore extuberant, nonnullis, cùm febris decretoriè ſedatur, non reſident, neque ſuppurant.* E contrario ſuppuratis parotidibus febrilem materiam adhuc eſſe crudam, oſtendunt Cratiſtonactes, & Pictoris ancilla, inferiùs *eodem lib. text.* 48. qui obierunt, quia (vt eſt opinio Galeni) cauſa febrium, quæ intra venas continebatur, nō erat cocta, quamuis parotides eſſent maturæ: Tunc addit, *poſſe fieri quapiam in parte priuatim coctionem, toto morbo non cocto.* Porrò parotides ſuppurare, ſemper optimum eſt; è contrario (vt in *Coac.* habetur) *tumores circa aures in longis morbis non ſuppurantes, lethales.* Et quamuis addiderit, *alui verò his deorſum feruntur,* intelligas oportet, id non eſſe neceſ-
ſarium,

ſarium,ſed additum duntaxat,quoniam alui fluxus ſuperueniens eſt vna ſalus, præter quam non eſt ſperare aliam. Nec ſola alui fluxio biliosa parotidas ſoluit, ſed vt ex *1.epid. ſect. 2. text.81.* addidit Hippoc. *dyſenteria, vel in craſſis vrinis reſidentia.*

Cap. X.

Quid habeant parotides ab aliis abſceßibus diuerſum.

PEculiari vocabulo abſceſſus,qui retrò aures protuberant, parotides appellantur, nomen ſortitæ, à loco vbi fiunt, παρὰ τοῖς ὠσὶ, id eſt, *iuxta aures*. Habent autem aliquas conditiones ab aliis abſceſſibus diuerſas,quarum prima hęc eſto. Alij fiunt(vt ſuperiùs dixi)ex materia frigida; parotides ex mediocriter calida, quæ ad caput ſuo impetu fertur. Dixi, *mediocriter*, nam ea quæ valde eſt calida,& ſubinde tenuis, κατ' ἔκκρισιν, id eſt, *per excretionem* egreditur, ſicut frigida *per abſceſſus*; ex quo relinquitur, vt quæ in medio caloris & frigoris eſt, ſit apta efficiendis parotidibus.

Quòd si dicas, *6. epid. sect. 2. com.* 18. rubeum colorem futurarum parotidum signum esse; vnde constare videtur, eas ex calida materia, quæ rubedine significatur, fieri: quod etiam confirmatur, quia hoc colore in facie apparente, si sanguis ex naribus fluat, tunc parotides non apparebunt; sanguis verò iste, qui liberat à parotidibus, parotidum materia foret, nî per nares exiret. Respondeo, rubedinem suam habere latitudinem: hunc autem ruborem, qui parotidas significat, non esse valde saturatum, ex eodem Galeno coniicio, qui non dixit esse *rubeum colorem*, sed *bonum colorem*. Nomine autem boni coloris, eum accipio, qui mediocriter est tinctus; bonitas quippe in mediocritate consistit. Si rursus dicas, causones iudicari aliquando per parotidas, scito id rarissimum esse, & quando contingat, iis contingere causonibus, qui illegitimi quidem sunt, vt voluit Galenus 4. *acutor.* 11.

Secunda: Alij abscessus si suppurent, sine totius corporis periculo accidunt. Dixi *totius corporis*, quia suppurati possunt ex prauitate materiæ, partem

tem aliquam cui insunt, corrumpere, vnde periculum claudicationis eis tribuit Hippocrates. At parotides etiam suppuratæ interficiunt. Ideò Vallesius, non inani coniectura, suspicatur Cratistonactem,& Pictoris ancillam periisse, facto maiore abscessu quàm vt ferri posset, & lethaliter putrescentibus quibusdam particulis, quod periculum in vicinitate cum cerebro fundamentum habet.

Tertia: alij abscessus fiunt per expulsionem; parotides autem sunt velut quædam ναυσίωσις, ἢ ἔρευξις, id est, *euomitio, & eructatio.* Hoc satis constat, quia parotides, cùm non fiant sine naturæ robore, si expulsione fierent, ad longinqua mitterentur; at mittuntur ad proxima, quoniam non expulsione, sed quadam, vt sic dicam, eructatione pullulant. Hoc verbum *eructare*, accipio ab Hippocrate, qui 1. *prorrh. sect.* 3. *text.* 76. inquit: *in capitis dolore coma, & surditas, abscessum aliquem post aures eructant.*

Quarta, ex his Hippocratis verbis sumitur, nempe præcedente somnolentiâ, futuras parotides significari. At di-

ces, in ſomnolentia materia frigida eſt & craſſa, in parotidibus non item. Imò verò, inquiam, parotides mediocrem (vt dixi) materiam habent; ſomnolentia, licèt pituitoſam, non tamen omnino craſſam, ſed à calore liquefactam: hinc æſtate pomeridiani accidunt ſomni, ſoluto ſcilicet pituitoſo ſucco, & leniter cerebrum irrigante. Quando autem Galenus in 1. *prorrh. ſect.* 3. *com.* 76. *in calidis magis capitis dolorem, in frigidis verò ſurditatem* reperit: calidas, & frigidas dicit, hoc eſt, inclinantes ad calorem, vel ad frigiditatem.

Quinta, & valde peculiaris parotidum conditio, eſt poſſe ptyaliſmo ſuppleri: ſic Hippocrates 1. *prorrh. ſect.* 3. *text.* 75. *tuſſicula cum ſputatione abſceſſum poſt aures tollunt.* Atque hæc ſunt, quibus parotides ab aliis abſceſſibus diſſentiunt, ſumpta ex rei natura.

Sexta, & vltima conditio parotidum, contraria omnino aliorum abſceſſuum conditionibus, accipitur ex curatione, quam Galenus nobis traditam reliquit 3. *de comp. med. ſec. loc. capite* huic rei dicato, nempe 3. nam in aliarum inflammatarum partium curatione

ne, apocrousticis, hoc est, repulsoriis seu repercutientibus remediis vtimur: *atque id maximè, cùm neque malignum sit, neque multum, quod influit; neque corpus humoribus ex æquo redundet; sic namque spongia sola ex posca imposita incipientes inflammationes repressit, neque quicquam ex eo totum corpus fuit offensum. Verùm in parotidibus, ipsum contrarium facimus, pharmaca attractoria adhibentes; atque si hæc nihil memorabile efficiant, etiam cucurbitulas affigentes, aut fomentis assiduis vtentes*, & quæ sequuntur.

CAP. XI.

In quibus parotides cum aliis abscessibus consentiant.

SVnt etiam aliqua, in quibus parotides cum aliis tumoribus præter naturam consentiunt. Primò, quia omnes, & criticè possunt, & symptomaticè euenire. Secundò, suas habent, sicut reliqui abscessus, iudicationes, diuersas à febrium iudicationibus. Terciò, durãt etiam post febres. Quartò,

tò, palindromæ, vt alij abſceſſus, parotides ſunt obnoxiæ, parotides quidem magis, ob ſuperiùs dictam rationem. Quintò, quoniam licèt locum habeant iuxta membrum princeps, videlicet iuxta cerebrum, eſt tamen locus ille emunctorium ſuſcipiendis excrementis deſtinatum. Sextò, abſceſsûs ſiquãdo in acutis fiunt, (fieri, non eſſe impoſſibile dixi) non minus quàm parotides, per epigeneſin, & magis diffuſione putredinis, quàm naturæ motu fiũt, ita vt tunc non ad metaſtaſin, ſed ad epigeneſin (de quâ ſatis diximus) reduci debeant. Hoc tamen dogma non eſt infallibilis veritatis: poteſt enim aliquando natura ἀνακάθαρσιν, *anacatharſin* moliri, (nempe per ſputum) nec ſufficere, quare aliam ad ſui conſeruationem viam quærit, & parotidas euomit. Quando autem Galenus in peripneumonia abſceſſum negat: ſi frequentiam negat, admittendus; ſi omnino abſceſſus ſpem auferat, omnino eſt deſerendus.

CAP.

CAP. XII.

Neutra parotidum conditio.

INterdum possunt parotides, ratione materiæ fieri indifferentes, hoc est, nec omnino bonæ, nec penitus prauæ: hoc accipe ex 1. *epid. sect.* 1. *text.* 10. vbi parotides describuntur, quæ *obscura omnibus euanescebant*: neque enim ex his malum aliquod remanebat, quoniam *non suppurabant*; neque rursus ex eisdem bonum aliquod accidebat, quia non erant iudicatoriæ. Itaque vt Hippoc. ait, *extincta omnibus sunt citra incõmodum*: adde tu, *non tamen cũ vtilitate*. Hæc autem neutra conditio parotidibus adest benignis, vt erant istæ: vtpote quæ sine febre apparebant; nam aliæ vel febres habent consectaneas, vel sunt consectaneæ febrium. Si ad eas febris sequatur, febris ista, febrium ex bubone rationem subit: nempe *ex bubone febres omnes ortæ, malæ, præter ephemeras*: quamuis enim bubo duntaxat soleat appellari tumor, qui est in inguinibus, nihilominus ad omnes

omnes tumores præter naturam potest hæc sententia trahi, dummodò animaduertas, rariùs in parotidibus, quàm in aliis abscessibus febres esse diarias: partis enim situs membro principali propinquus, non sinit febrem non malignari. Si verò parotides ad febrem sequantur, tunc eas habent difficultates, de quibus suprà. Relinquitur, vt si nec febres antecedant, nec sequantur, à materia fiant vaporosa (vt Galenus *ibidem* notat) quæ facilè euanescit.

Cap. XIII.

De bubonibus pestilentibus.

QVamuis bubo (vt diximus) propriè inguen dicatur, tamen vsus obtinuit, vt omnis tumor in emunctoriis enascens, siue sit in inguinibus, siue sub alis, siue retrò aures, hoc vocabulo significetur. Porrò per febres pestilentes apparentes bubones, magis ad epigenesin, quàm ad metastasin referam. Siquidem nullum ex iis leuamen, nulla naturæ victoria, sed infelix omen, eorum

rum est apparitio: tunc enim & vires languidiores, & morbus ferocior sese ostendit. Cur autem post bubonis apparitionem, soleant in pestilentibus omnia fieri grauiora: existimo causam esse, quoniam priùs, dum venenata materia intra vasa erat inclusa, consortio sanguinis, & spirituum aliquantulum coërcebatur; eadem verò extrà effusa, ἀχαλίνωτος, id est, *effrænis* redditur, totámque suam pestiferam conditionem, nullo prohibente, exercet. Hinc est, quòd in his non conueniunt repellentia, sed semper attrahentia, vt virus in abscessu consistens, omni ingenio, & vi, omnibus machinamentis extrahatur: Nam malignitas in tumoribus præter naturam, apocrousticis vti nos vetat.

Porrò de pestilentibus bubonibus Hippoc. loquutum existimo, cùm *6. epid. sect. 1. text.* 10. ait: *Abscessus, veluti bubones, signum quidem sunt germina habentium, tum aliorum, tum præcipuè viscerum: maligni autē sunt hi.* Sanè βλαστήματα germina sunt, quæ ex arboribus propter nimiam fœcunditatem pullulant: sic autem appellantur bubones pestilentes,

tes, qui non exoneratam naturam, sed materiam redundantem significant: & quemadmodum germina cùm pullulant, arbor nihil minuitur, cùm secantur aut arescunt, augetur; ita bubones pestilentes si appareant, morbus non fit minor, si euanescant (euanescunt autem sæpissime) euadit maior. Pulchra metaphora, & Hippoc. autore digna!

Cap. XIV.

Abscessus vniuersales, alij per modum plurium, alij per modum vnius.

INter τὰ ξυμφέροντα χώρια, loca euacuationibus conferētia, *cutim vniuersam* recenset Gal. 1. *aph.* 21. quam propterea vniuersale emunctorium iure possumus appellare: quicquid verò ad eam decumbit, vniuersalis abscessus nuncupabitur. Is autem vel in myriades diuisus est, vel continuus: Græci omnia quæcunque in cute efflorescunt, communi vocabulo ἐξανθήματα καὶ ἐκθύματα, *exanthemata* seu *ecthymata* appelларunt;

larunt; vt nobis non constet, an eorum seculo varij cutanei affectus floruerint, nempe morbilli, variolæ, puncticulæ, quorum cognitio iam ab Arabum temporibus ad nostra vsque manauit. Præterea etiam sani, qui tamen sunt cacochymi, abscessum istum ad cutem patiuntur, si videlicet antequàm cacochymiam deponant, forti vtantur exercitio: iccircò Hippocrates *6. epid. sect. 5. text. 34. Si impurgatus*, inquit, *laborauerit, vlcera erumpent*: quia exercitio, quicquid in corpore latet, ad cutim propellitur; vbi prauus latet humor, mordax atque vlcerans, cutim facit vlceribus sordescere. Sunt autem diuersi horum vlcerum effectus, pro diuersitate humoris quo constant, vt ex Galeno potes addiscere, 2. *de sympt. caus. c. vlt. Quippe tenuis, salsus, immotúsque succus in iis est, qui pruriunt; paucus, tenuis, mordens, & immotus in vlcerosis affectibus; multus, salsus, crassus, & immotus in lepris, & scabie; paucus, tenuis, & mordax, cum exiguo motu, in horroribus. Quòd si vel vehementiùs mouetur, vel copiosior, mordaciórve est, concutientem rigorem infert, non horrorem: maximum*

maximum quidem, qui plurimus est, & mordacissimus, & vehementissimè motus; minimum verò, qui propter vnum aliquid horum mediocriter auctum, ex horrore in rigorem transire facit

CAP. XV.

De morbillis.

MOrbillorum materia tenuis est, sed facilis: propterea febrem quidem excitat valde magnam, non tamen perniciosam; quippe humor tenuis ingentem excitat flammam, sed quæ non magno negotio discutitur: Exemplo tibi sit febris diaria in spiritibus accensa, in qua calor ingens est, non valde acris, & parum durat. Sic in febre ex morbillis, quæ si non admodum morbosum inueniat in corpore apparatum, synochus sine putredine est, & ad diarias reducitur, nulla adsunt praua symptomata, sed cita discussio, & solutio sine periculo. Mihi quidem nullum contigit vidisse, qui ex hoc malo periclitaretur, præter vnum, qui puncticulas admixtas habebat, quales in

in febribus valde malignis apparere ſolent,vt non ex morbillis,ſed ex punčticulis periiſſe dicendus foret. Non negabo poſſe retrocedentibus morbillis ægrum interire, vix tamen retroceſſum citra ægri culpam agnoſco, vt ſi aëri ſe exponat, aut aliquem alium errorem committat, à quo ſi caueat, res in tuto eſt.

Cap. XVI.

De Variolis.

DE Variolarum cauſa materiali decertatio eſt non parua: quippe ex Arabum ſecta omnes, & ex noſtris quamplurimi,hoc malum ad reliquias excrementitias ſanguinis menſtrui, quo infans in vtero fuit nutritus, referunt. Aliis hoc impoſſibile videtur. Cæterùm ne tibi cramben recoctam præbere videar, cùm hoc argumentum ſatis ſupérque in meo *de Meteoris Microcoſmi* opere tractauerim, ab hoc labore libens ſuperſedeo, præcipuè quia à præſente inſtituto valde alienæ ſunt diſceptationes, & controuerſiæ, quas

ſeorſim

ſeorſim agitare, magis conſentaneum eſt. Vnum duntaxat in mentem reuocabo, Variolas inter morbos cutaneos reponi; quia id quod in iis manifeſtè ſe prodit, eſt cutis fœdatio: nihilominus in diſſectionibus, ferè ſemper reperiri viſcera, non ſecus quàm cutem, his tuberculis conſperſa, lienem, iecur, pulmones, pancreas, & reliquas interiores ſedes hac labe infectas.

Magnum in omni euentu periculum huic malo adeſt. Si paucæ exeant variolæ, diminutæ euacuationis ſuſpicio vrget; ſi multæ, corruptionis: nam tabo ſuffocatus æger inter fœtores, & dolores vitam finit, & ante mortem morticinium quoddam toto corpore exhibet, vt rectè dicat Fernelius 2. *de abdit. rerum cauſis, cap.* 12. corpus ſic affectum non aliter contabeſcere, & macie, nigroréque torreri, quàm ſi mẽſes quatuor è furca pependiſſet. Multi oculis confoſſis, prorſus occæcati poſtea viuunt; multis etiam cicatrices indelebiles remanent; aliqui vlceratis inteſtinis dyſenterias grauiſſimas patiuntur; omnes faucibus, & aſperâ arteriâ oppreſſis rauci fiunt. Principio

febris

febris ingens, coma, delirium, conuulſiones, faciei rubor, quo tempore venam ſecare vtiliſſimum eſſe, experimento edoctus teſtor, atque profiteor. Poſtea ſecernente naturâ venenum, quoad poteſt, ad cutem tranſmittitur. Apparent priùs rubræ aſperitudines, quæ paulo pòſt albeſcunt: tũc ſi meliùs habere æger videatur, ſanguinis miſſio non habet locum; ſin adhuc plenitudinis notæ perſiſtant, cur omittetur hoc auxilium? num quia timetur ne materia retrocedat? tantùm abeſt vt futurus ſit iſte retroceſſus, quin potiùs ob naturã à ſarcina exoneratam potentiùs ad externa eiicietur, ſed hoc obiter. Fit in corpore veneni coaceruatio, quæ longo tempore non offendens latet, poſtea ſecernitur aliquibus citiùs, aliis verò tardiùs. Aliqui viſi sũt, & mihi vnum videre contigit, qui intra vterum matris hoc malo correptus periit. Alij vix nati eodem laborârunt. Aliis iam pueris, adoleſcentibus, iuuenibus, & quod rariſſimum eſt, etiam ſenibus, hoc contigit infortunium.

Cùm autem variolarum ad cutem

tranſmiſſio

transmissio sequestratione veneni fiat, crisis censenda est. Ne tamen in hac crisi coctionem antecedentem expostules: venenum non concoquitur; præualet venenum in hoc malo, & (vt Fernelius bene adnotauit) pauca putredinis in vrinis signa apparent. Estne crisis ad malum? immò ad bonum: nam si æger saluandus est, hac expulsione saluabitur. Quod si natura sub magno symptomatis pondere ingemiscit, nec tantum onus ferre potest; si symptomata, ex halitu, & vapore venenosi ichoris, ita grauia sunt, vt occidant; si denique expulsio, quæ à natura sine cognitione fit, (quippe non ducitur intellectu) aliquas partes occupauit, quarum ratione æger periclitatur, hoc non tollit quominùs euacuatio sit facta, iuxta naturæ, causam morbificam foràs propellentis, institutum.

CAP. XVII.

Comparatio inter Variolas, & Morbillos.

IN aliquibus quidem conueniunt morbilli cum variolis: vt quòd vterque

que morbus sit epidemicus, vterque cutaneus, vterque contagiosus, vterque pueris familiaris, vterque magnam febrem habeat adiunctam: maiorem quidem morbilli, vtpote ex materia magis tenui; maligniorem variolæ, quippe ex materia magis veneni participe. Verùm hoc non tollit morbillis minorem, quàm variolis prauitatem subesse. Epidemicè grassantur etiam morbi salubres, vt catarrhi; præcipuè illi qui Anno 1581. per vniuersam Europam fuerunt peruagati; fuerunt insuper contagiosi, nam morbi etiam suapte naturâ carentes contagio, vt dysenteriæ, & alij, si epidemici fiant, euadent contagiosi, tribuente illis Cæli dispositione contagij vim. Sunt morbilli morbus infantium, sed non ita communis vt variolæ. Itaque decipi existimo Auicennam 1.4. *tr.* 4. *cap.* 8. qui dum inter hæc duo conuenientias quærit, morbillos facit parum inferiores dignitate, hoc est, malignitate, morbillis: signa bona in morbillis esse ait, *cap. sequente, sicut signa salutis variolarum: nam ille qui est velocis processionis, & apparitionis, & maturationis, est saluus.*

Sic ille, qui frustrà morbillis maturationem tribuit: quippe morbilli non maturantur, sed resolutione euanescunt. Decipitur etiam, cùm ait, morbillos minùs accidere oculis, quàm variolas, immò vnum ex signis morbillorum, est oculorum rubedo. Maius damnum oculis inferunt variolæ, quia in vlcera conuertuntur; nihilominus quamuis vterque affectus in oculis pariter sese prodat, morbilli magis. Fit insuper morbillus ex materia magis biliosa: ideò ob tenuitatem pungit asperam arteriam, & tussim siccam excitat, & nares mordicans mouet sternutamenta: fit (inquam) ex magis biliosa, sed non putrida, qualis est febris variolarum, quæ plenitudinem simul, & cacochymiam habet comitem. Plenitudo ostenditur in dolore lumborum, & capitis grauitate; cacochymia in vomitu bilioso, & porraceo, in aliísque prauis symptomatibus.

CAP.

Cap. XVIII.

De Variolarum prauitate.

ADeò maligna eſt, & peſtilenti proxima variolarum materia, vt plena fide teſtari poſſim, me in quadam peſtilenti conſtitutione animaduertiſſe, initio peſtis, cùm adhuc malum non ſe omnino proderet, variolas fuiſſe peruagatas; poſtea, ingraueſcente peſte, ceſsâſſe, quæ tamen in peſtis declinatione redierunt, ita vt cùm venenum peſtilens adhuc in principio vires non haberet, & in fine iam declinâſſet, locus eſſet huic malo, quod peſtis quoddam rudimentum appellabo. Hoc Arabes ferè omnes videntur intellexiſſe, ſiquidem, inter futuræ peſtis præſagia, variolas reponunt: Et iccircò Auicenna poſtquam egit de febre peſtilente, ſtatim agit de variolis, & morbillis: de variolis, quia febri peſtilenti ſunt proximæ; de morbillis, propter conuenientiam quam diximus habere cum variolis.

Cap. XIX.

De Puncticulis.

FEbris quædam valde maligna, & aliquantulum contagiosa, quam meritò Fracastorius inter verè pestilentes collocat, secum multoties affert symptoma, vario modo sese prodens, quod ad qualitatem mutatam referunt aliqui; ego verò in excretis toto genere præter naturam repono. Est autem symptoma hoc, macularum prouentus per vniuersam cutem: quas ideò vario modo se prodere dixi, quia nunc in principio morbi, cum ægrotantis malo; nunc in statu, cum vtilitate eueniũt. Interdum rubræ, interdum liuidæ, & aliquando ad nigredinem accedentes apparent. Aliquando plurimæ, aliquando pauciores. In lumborum regione, quà vena amplissima perreptat, maior est earum prouentus. Copiosæ etiam visuntur in thorace, propter exuberantiam caloris; & in brachiis, propter venarum propagines, vt hinc liceat cognoscere earum materiam è venis transmitti.

transſmitti. Harum materiam dicunt aliqui eſſe vaporem, dixiſſent meliùs vaporoſam: nam humor quidem eſt, ſed tenuiſſimus, qui ſi rubedinem præ ſe ferat, non valde recedit à forma ſanguinis, & ſubinde non magnam ſapit malignitatem; ſin liuorem, nigrorémve, vt plurimùm exitium ſecum affert.

An morbus ſit nouus, certant recentiores. Occaſionem dubitandi præbent Græci, qui omnes cutis efflorescentias generali nomine exanthemata appellantes, nullum diſcernendi variolas à morbillis, & vtrumque à puncticulis de quibus agimus, locum reliquêre. Scio nouas ægritudines aliquando emerſiſſe, & alias poſſe nouiter emergere. Scio inſuper hanc febrem anno 1528. per vniuerſam Italiam fuiſſe peruagatam. Aliqui ad Hippocratis hiſtorias adeunt, & putant ſe in iis has maculas reperire: Verumtamen omnes efflorefcentiæ, quas antiquiſſimus Medicinæ pater deſcribit, aut aſperitudines eſſe ait, aut ſaltem culicum morſibus ſimiles: vt hinc conſtet, eius fuiſſe conditionis, vt cutem eleuarent; maculæ verò iſtæ cutim non eleuant,

neque culicum, sed potiùs pulicum morsibus assimilantur.

Papulæ autem, quas Hippocrates 1. *epid. sect. 2. text.* 38. ait in quadam constitutione apparuisse *paruas, quæ non essent excernendis morbis, statim euanescentes*, magis videntur fuisse variolæ, aut morbilli, quàm puncticulæ: siquidem (vt ille adiungit) *pueros ablactatos arripiebant.* Silenus autem secundus ægrotus primi libri *habuit papulas cum sudore rubentes*, sed papulæ istæ erant *varis similes*: vari autem sunt tubercula, quæ pubescentibus in facie oriuntur, vulgò dicuntur *cossi*; hi autem cum puncticulis nihil commune habent. Item 3. *epid. sect. 3. text.* 51. sic scriptum reliquit: *Carbunculi æstate multi, & alia quæ putredo vocantur, papulæ item magnæ, herpetes multis magni.* Istæ etiam papulæ differunt à puncticulis: nam puncticulæ valde exiguæ sunt; papulas autem illas magnas fuisse narrat. Ineptè quidam *magnas* exponit, hoc est, vniuersum corpus occupantes, quasi inter magnas, & multas, nullà sit differentia. Præterea Galenus ait papulas illas vocari ἐκθύματα ab ἐκθύειν, quod est ἐξορμᾶν

&

& constare ex humoribus, qui si tenues sint, exulcerationem efficiunt; si crassi, in tumorem pellem attollunt: quorum neutrum puncticulis inest. Tandem asperitudines miliares pruriginosæ, 2. *epid. sect.* 3. non sunt puncticulæ : siquidem hæ neque cutem reddunt asperam, neque pruritum excitant.

Itaque natura, foràs humorem à quo molestatur, transmittere satagit, & impetu expulsionis materia ob tenuitatem suam in minimas partes diuiditur, vt cutis hoc tenui humore quasi aspergi videatur: rectè aspergi, dixi, vt significarem hunc humorem tenuem, velut aquam, facilè posse in minimas particulas diuidi : sic aliquando ex vaporibus concretis, miliares sudores videre contingit. Atque hæc est vna ex rationibus, ad demonstrandum materiam puncticularum non esse merum vaporem ; nam si esset, in sudorem concresceret, neque humoris à quo eleuatur, tincturam retineret.

Quæres, an liceat apparentibus puncticulis sanguinem mittere ? quamuis autem hoc quæsitum ad therapeuticen spectet, ac proinde sit præter hu-

ius libri inſtitutum; nihilominus non tacebo rudem, & nulla ratione fundatum timorem eorum, qui tunc ab hoc remedio abſtinent, cùm tantum abſit, vt impediatur venæ ſectione puncticularum exitus, quin potiùs adiuuetur, dummodò grauatæ naturæ ſigna adſint: quippe hoc auxilio à ſarcina quâ premebatur exonerata, ſuis commodis poteſt longè meliùs incumbere. Sed hoc obiter. Quod verò ad præſentem rem facit, eſt ſcire, febrem quæ à recentioribus *purpura* appellatur, in qua maculæ, de quibus agimus, apparent, non eſſe eam, quam Galenus 6. *epid. ſect.* 1. *com.* 19. pemphigodem appellat, Nam in illâ Galenus tubercula admittit, & Thucydidis auctoritate vtitur, qui in peſtilentia ſuo æuo graſſante, fuiſſe narrat *corpus ſubrubrum, liuidum, tuberculis exiguis & vlceribus efflorеſcens.* Itaque in hodiernis papulis, nulla datur intumeſcentia. Si autem ad vocabuli etymon attendas, *πέμφιξ pemphix* dicitur bulla, & febris pemphigodes, bulloſa. Erat igitur, vt ait Thucydides, in illa peſte, corpus *vlceribus efflorеſcens*, cui conſonant Lucretij carmina.

I *Et*

Et ſimul vlceribus quaſi inuſtis omne rubere

Corpus,vt eſt per membra ſacer cùm diditur ignis.

Falluntur igitur Fabius Paulinus in *annotationibus ad Thucydidem*,& Horat. Augenius 2. *tom.ſuarum epiſt. lib.*4. & alij,qui ex antiquorum ſcriptis elicere volunt, has maculas priſcis fuiſſe cognitas, quod certè non conſtat, nec conſtare poteſt, iuxta vocabulum vniuerſale quo vſi ſunt, appellantes omnes effloreſcentias exanthemata.

CAP. XX.

Abſceſſus vniuerſalis per modum vnius.

SEd iam ad vniuerſalem abſceſſum, qui cõtinuitate eſt vnus, me confero,& ſtatim auriginoſus ſeſe offert,cui tranſmiſſiobilioſi humoris ad vniuerſam cutim cauſam præbet. Nec verò omnes eius cauſas pertractabo, ſed ſolùm aſſumam eam auriginem, quæ febricitantibus accidit, hanc verè vniuerſalem abſceſſum poſſis appellare.

ius libri inſtitutum ; nihilominus non tacebo rudem, & nulla ratione fundatum timorem eorum , qui tunc ab hoc remedio abſtinent, cùm tantum abſit, vt impediatur venæ ſectione puncticularum exitus , quin potiùs adiuuetur, dummodò grauatæ naturæ ſigna adſint : quippe hoc auxilio à ſarcina quâ premebatur exonerata, ſuis commodis poteſt longè meliùs incumbere. Sed hoc obiter. Quod verò ad præſentem rem facit , eſt ſcire , febrem quæ à recentioribus *purpura* appellatur , in qua maculæ, de quibus agimus , apparent, non eſſe eam , quam Galenus *6. epid. ſect.* 1. *com.* 19. pemphigodem appellat, Nam in illâ Galenus tubercula admittit , & Thucydidis auctoritate vtitur, qui in peſtilentia ſuo æuo graſſante, fuiſſe narrat *corpus ſubrubrum , liuidum, tuberculis exiguis & vlceribus efflorescens.* Itaque in hodiernis papulis , nulla datur intumeſcentia. Si autem ad vocabuli etymon attendas , πέμφιξ *pemphix* dicitur bulla , & febris pemphigodes, bulloſa. Erat igitur, vt ait Thucydides, in illa peſte , corpus *vlceribus efflorescens*, cui conſonant Lucretij carmina.

Et

Et simul vlceribus quasi inustis omne rubere
Corpus, vt est per membra sacer cùm diditur ignis.

Falluntur igitur Fabius Paulinus in *annotationibus ad Thucydidem*, & Horat. Augenius 2. *tom. suarum epist. lib.* 4. & alij, qui ex antiquorum scriptis elicere volunt, has maculas priscis fuisse cognitas, quod certè non constat, nec constare potest, iuxta vocabulum vniuersale quo vsi sunt, appellantes omnes efflorescentias exanthemata.

CAP. XX.

Abscessus vniuersalis per modum vnius.

SEd iam ad vniuersalem abscessum, qui cõtinuitate est vnus, me confero, & statim auriginosus sese offert, cui transmissio biliosi humoris ad vniuersam cutim causam præbet. Nec verò omnes eius causas pertractabo, sed solùm assumam eam auriginem, quæ febricitantibus accidit, hanc verè vniuersalem abscessum possis appellare.

 Porrò

Porrò *si accidat ante septimam diem, malum* dixit Hippocrates, 4. *aph.* 62. quod decretum neq; Plinius *lib.* 26. *c.* 12. neq; Auerroës 4. *coll. c.* 43. recipiunt. *Scimus* (inquit Plinius) *vixisse aliquos etiam ab hac desperatione.* Verùm desperationis vocabulo Hippocratem calumniatur: nam magnus Senex non dixit θανάσιμον, id est, lethale, sed κακὸν, id est, malum; neque verò etiamsi *lethale* dixisset, adhuc moriendi necessitatem, quam Plinius desperationem appellat, vox illa importaret: quippe, vt Galenus 6. *aph.* 60. adnotauit, *mortale ab Hippocrate dicitur interdum de iis, qui ex necessitate sunt morituri, interdum de iis qui magna ex parte.* Deinde Hippocrates ictéritiam damnat, quæ euenit *ante septimum.* Plinius Hippocratem dixisse ait, *à septimo*, id est, *post septimum:* quod falsum est: imò verò Medicinæ parens inferiùs 4. *aph.* 64. die septimo, nono, vndecimo, decimoquarto, diebus decretoriis, ictéritiam superuenientem laudat, nî simul dextri hypochondrij durities, hoc est, nî malus aliquis affectus iecori accidat. Insuper, adeò idem decretorium veneratur, vt

etiam

etiam ante ſeptimum,nempe die quarto icteritiam, ſi cum rigore accidat, commendet 4. *acut.*81. Quippe febris, quæ à bilioſo, & valde mordaci humore fit, morbus eſt peracutus,& ante ſeptimum,ſuum decretorium habet. Iudicatio autem in illa die quarta facta per rigorem,vt ſit bona, ſubſequentem expulſionem habere debet; eſt autem expulſio ad cutem per icteritiam; hoc eſt, per vniuerſalem abſceſſum.

Quæres, an die quartâ duntaxat icteritia cum rigore ſit bona? Erit etiam bona poſtea; dummodò æger debilis non ſit, & febris ſoluatur. Hoc Hippocrates non negaret: nam tunc boni abſceſſus conditiones ſubiret: ſed ille hoc solùm dixit, quod dubium videri poterat. Dixerat priùs icteritiam ante ſeptimum, malum; dicit nunc, poſſe aliquando ante ſeptimum eſſe bonum; videlicet ſi cum rigore fiat, quia ſubit vicem expulſionis factæ poſt rigorem: quippe tunc rigor cauſone ſoluere dicitur,ex Galeni animaduerſione, cùm ad rigorem euacuatio aliqua ſubſequitur.

Cæterùm icteritia ſine rigore, ante ſeptimum, conditionem habet earum

mutationum, quæ symptomaticæ dicuntur. Quòd si icteritiam etiam ante septimum diem euenientem euacuatio aliqua sequatur, æger liberabitur: non quidem quia icteritia tunc temporis ex se est salubris, sed quia subsequens euacuatio liberat à periculo: Quemadmodum parotidibus accidit, quæ alioquin periculosæ superueniente alui fluxu, aut copiosâ mictione, nihil periculi inuehunt. Itaque iure optimo aphorismus, quem præ manibus habemus, *Icteritia ante septimum, malum*, additum habet in nonnullis codicibus, (vt Galenus fidem facit) *nisi humores aluo prodeant*: volentibus his qui hæc adiiciunt, per aluum bilem expurgari. Et hoc additamentum, ex eodem Hippocrate est acceptum: etenim accidisse narrat 1. *epid. sect.* 2. *text.* 3. *Quibusdam morbum regium sextâ die, verùm his purgatio per vesicam, aut aluus turbata profuit; aut larga sanguinis eruptio, velut Heraclides, qui decumbebat apud Aristocyden: nam huic, & ex naribus sanguis erupit, & aluus turbata est, & per vesicam purgatus est, vigesimâ die iudicatus est. Non velut Phamagora seruus, cui*

nihil

nihil tale factum est,& mortuus est. Nec solùm moriuntur, quibus deest excretio, sed quibus accidit superflua: sic Hermippus multum excreuit, adeò vt viribus vim euacuationis non sustinentibus, obierit. Itaque vt salubris sit icteritia,imò vt sit secura,necesse est vt euacuatio sequatur, quæ nec sit diminuta,nec superflua, sit tamen liberalis; quæ tamen vel sit ἰσόῤῥοπος, vel ἰσοῤῥοπίαν non valde excedat. Iam patere arbitror, quâ lege possit icteritia esse vtilis in omni regione, vt vana sit excusatio,quam Auerroës, magis Hippocratem accusans,quàm excusans, affert, inquiens: *Possibile est quòd viderit in terris suis crises venientes per icteritiam ante septimum,esse malas.* Valeat inutilis, immò inanis isthæc excusatio, quâ magnus Hippocrates non indiget: neque enim suis duntaxat Cois, sed vniuersi Orbis habitatoribus communem,& ratione, experimentóque fundatam tradidit Medicinam.

CAP.

CAP. XXI.

De palindrome.

NIhil tam horrendum in morbis, quàm τὸ παλινδρομέειν, id eſt, *palindrome*, ſiue *recurſus*: quando ſcilicet tam Medico, quàm ægroto, exacti iam morbi fallax ſpecimen illudit, & portum ſe tangere arbitranti, maiores aquarum aſſurgunt montes. Dupliciter palindromes vocabulo vtitur Hippocrates: aliquando enim recidiuam ſignificat, ſed minus propriè, vt cùm dicitur in *Coacis*: ὕδερος πρὸς θεραπείην ἐνδιδοὺς, καὶ παλινδρομέων, ἀνέλπιστος, id eſt, *hydrops, qui ad curationem remiſit, recurrens, deſperatus eſt*. Quia ſi aquam hydragogo aliquo medicamento extrahas, venter detumeſcit, & æger à moleſtiis, quibus propter inundationem premebatur, veluti in portu, reſpirat. Nihilominus, ſi malum recurrat, hoc eſt, reuertatur, recidiua erit, ſignificans cauſam non fuiſſe abolitam, eámque tumorem aliquem internum, præcipuè in jecore eſſe, qui curationem non admittit.

Cæterùm,

Cæterùm, præter hanc ſignificationem, quæ (vt dixi) valde impropria eſt, dicitur propriè palindrome, recurſus humoris: & iſte adhuc duobus fit modis, vno minùs proprio, quàm alio: nam ſi recurrat ad partem diuerſam ab ea, à qua fluxus cœpit, non ita propria eſt palindrome, ſicut alia, in qua humor ad ſuum fontem recurrit. Omnes tamen iſti tres modi ſunt valde periculoſi. Primus, quoniam ὑπόστροφος morbus priore deterior eſt, vel eâ ſaltem ratione, quòd ægrum ſuſcipit defatigatum. Secundus, ſolùm poteſt eſſe laudabilis, ſi materiæ orgaſmo quo cor, aut aliud membrum princeps fuerit laceſſitum, eodem orgaſmo materia recurrat aliorſum. Erit etiam laudabilis, ſi fiat poſt damnabilem, ex: gr: ſi materia ab abſceſſu ad cor recurrat, deinde à corde tranſmittatur iterum ad abſceſſum. Nec verò iſtam laudabilem palindromen impoſſibilem iudicato: quippe licèt vtplurimùm, interiora maiorem habeant vim ad retinendum, quàm exteriora ad attrahendum; nihilominùs materia turgens, vt ad exteriora recurrat, naturam, cui cuſtodia

ſanitatis

ſanitatis incumbit, habet adiutricem. Alioquin priùs per metaſtaſin, *6. aph. 25. eryſipelas ab internis ad externa, bonum*; poſteà per palindromen, *ab externis ad interna, malum*. Quæ ſententia vniuerſalis quidem eſt, vt Galenus *ibi* annotauit; & *eryſipelas* pro exemplo affertur: ideò idem Galenus, *1. prorrh. ſect. 1. com. 1.* vniuerſali ſermone ait: *quæcunque tubercula, aut puſtulæ, ex imo ad cutem enata recurrerunt, grauiſſima omnium ſunt.* Tertius, quia materia recurrens ad ſuum fontem, (quæ propria palindrome eſt) reperit ibi phlogoſin, & empyreuma, nempe facilem apparatum ad nouum incendium, maiore vi quàm priùs, excitandum. Significare etiam poteſt, irritum materiæ impetum, quem Galenus *1. prorrh. 61.* ὁρμὴν appellat, & ad communiſſimum theorema criticorum non decernentium reduci poteſt, quaſi natura iam valuas ſanitatis attingens, à limine reducatur. Vt ſi phreniticus incipiat, parotidibus ortis, miteſcere, mox iiſdem euaneſcentibus, ferocior quàm antea, reddatur. Quid mirum? humor recurrens prioris fomitis locum reperit, adhuc [illegible]

intemperie

intemperie imbecillitatéque laborantem. Ita *quibuscunque resurgentibus ex morbis, siquid laborauit, hîc fiunt abscessus. Siqua pars corporis antea laborauit, ibi morbus firmatur, 4. aph. 32. 33.*

Dupliciter potest tumor præter naturam euanescere: vel resolutione, si concurrant omnes resolutionis causæ; *humoris tenuitas, partis raritas, circumfusi aëris calor, admoti medicamenti potentia.* Vel per palindromen, hoc est, recursum ad interna: & hoc accidit, vel propter materiæ orgasmon, irrequietámque naturam, vt si sanguis sit, ad vasa magna; si bilis, ad partes supernas; si pituita, ad ventrem, & primam regionem: Vel sequens inclinationem naturæ: sunt enim aliqui, quibus facilè ad ventriculum confluxus fiunt, alij quibus ad caput, alij ad cor, mulierúmque nonnullæ quibus facilè ad vterum materia vertitur: vel etiam ob astrorum directiones, quæ magis hoc, quàm illud respiciunt membrum. Non solùm palindrome fit ex abscessu per decubitum, sed etiam ex abscessu per effluxũ: qui enim aëri se exposuit sudans, retrocessu materiæ occisus est; qui etiam alui

alui fluxu ſanabatur, ſi fluxus deſtitit, recurrente materiâ periit; cui etiam pleuritico materia per ſputum cœperat euacuari, palindrome factâ, noua pleuritis fuit excitata; & in *Coacis*, *ſuppreſſa intempeſtiuè dyſenteria* palindromen facit, ſcilicet recurrente materia: quæ ſi ſit αἱματώδης, *ſanguinea*, magis recurrit ad viſcera: quia hepar vicinum, venæ cauæ ſitus, & diſtributio, & partium reſpirationi inſeruiĕtium peculiaris infirmitas id facit: χολώδης, *bilioſa*, ad articulos. Quamuis enim bilis, ſuapte naturâ ſurſum ferri ſoleat, propter calorem, & ſubſtantiæ tenuitatem; tamen propter acrimoniam, ab omnibus partibus, præſertim nobilibus reiecta, quàm longiſſimè fieri poteſt, propellitur, ac tandem, vbi viſcera robuſta ſunt, in imbecillioribus articulis firmatur, ad quos, propter tenuitatem, facilè penetrat, cùm etiam pituitoſis, craſsiſque humoribus eò decumbentibus, miſceri, quaſi pro vehiculo, ſoleat.

Fit etiam palindrome ex ſuppreſſis hæmorrhoidibus, vt habetur in 6. *aph.* 12. Palindromen etiam patiebatur ille,

ille, *cui* (vt narrat Hippocrates *lib. de humoribus, in fine*) *intestinum in dextra parte dolebat, & vbi articulari morbo correptus est, quietior erat; postquàm autem hic curatus fuit, magis dolebat.* Galenus existimat id euenisse, *quoniam duobus doloribus non eundem locum infestantibus, maior minorem obscurat*, 2. *aph.* 46. Sed non recipienda est isthæc interpretatio: nam quorsum Hippoc. id quod commune est omnibus doloribus, in vno particulari, tanquam rem admirabilem narrâsset? Adiungit idem Galen. forsan auctorem loqui de cæci intestini dolore: sed cur de aliis non loquitur? nonne potest ex omnibus, per venulas, & obscuros meatus materia transmitti? Num quia materia erat crassa? at poterat esse tenuis; quippe colicus dolor, etiam ex causa tenui fit: & præterea materia crassa, tum agitatione, tum medicamentis calidis tenuior redditur. Imò crassa etiam materia transsudat à venis in arterias, vt admittit idem *de plenit. cap.* 11. Immeritò ergo transmutationem istam ab arthritide in colicum dolorem, appellat ænigma, indignum vt eius explicatione

tione defatigetur.

Demum non solùm facti iam abscessus, cum periculo recurrunt,& multoties cum pernicie, verùm etiam ea signa,quę ἀντιδίδοντα appellantur,quasi febrem rependant, eique opponantur.Quicquid ergo futurum abscessum,qui tamen non sequatur, significat, palindromes suspicionem affert: ideò in *Coacis* Hippocrates inquit:*quæ signa abscessum ennunciant, si abscessus non sequatur, malignum*: non dixit malum, nec mortale, sed *malignum*, insinuans praui moris esse, viæ semel inceptæ non insistere; quod etiam imbecillitati potest aliquando attribui:verùm neque sic quidem minus est malum. Signa autem futuri abscessûs superiùs diximus, præcipuum tamen semper est dolor. Is cùm in aliqua parte valde vrget,iam ibi materiam adesse ostendit, quæ licèt manifestum abscessum non extollat, nihilominùs continuum soluit, aut saltem grauem inducit intemperiem, aliter non doleret. Quando verò dolor repentè cessat, quid aliud indicat quàm metastasin materiæ in alium locum? Dixi repentè, nam si

resolutione

resolutione euanescat, sensim id fiet. Porrò Larissæ Caluus 3. *epid. sect.* 3. *ægr.* 5. *cui dextrum femur doluit repentè*, poterat ex dolore, futurum in dextro femore abscessum coniectare: *tertio femur dolere desiit*, quid inde accidit? nempe, recurrente materia ad cerebrum, & cor, (potiùs ad os ventriculi, quod veteres cor nominabant) *mentis alienatio*, *& turbatio*, *multúmque sese iactauit*, *quarto ad meridiem periit*. Potest tamen, (vt suprà dictum est) ad hunc recursum materiæ à parte in qua dolor erat, ad partem nobiliorem, sequi iterum recursus à parte ista nobiliore ad externam, siue per decubitum, siue per effluxum. Per decubitum, vt si Caluo mentis alienatione laboranti accidissent parotides. Per effluxum, vt si contigisset aluum solui, aut vrinam copiosam mingi, aut sudores excitari, aut sanguinem è naribus fluere. Hoc dixisse volui, vt Medicus generosus addiscat, non esse in materia valde mobili, & irrequieta desperandum, sed instandum, & pro viribus innitendum, si forsam ad palindromen perniciosam, palindrome vtilis consequi valeat. Interim

terim tamen ab Hippocrate 3. *prorrh.* 75. accipe, *dolores absque indicatione solutos, inutiles esse:* dixit *inutiles*, quia nunquam possunt esse boni. Sed vel mortem, si praua signa adsint; vel si desint, diuturnitatem secum afferent.

STEPHANI RODERICI CASTRENSIS LVSITANI,

QVÆ EX QVIBVS.

LIBER QVARTVS.

CAPVT I.

Quæ mala supra mala necessariò eueniunt.

MORBI, quos morbis aduenire hactenus diximus, ita accidunt, vt possint non accidere: quippe priore morbo manēte, alterius superuentus, quem epigenesin appellauimus, & vnius in alterum

rum mutatio, quæ dicitur metaſtaſis, & omnis abſceſſuum turba, non habent infallibilem euentum, ſed quibuſdam aduеniunt, aliis verò non. Sunt autem præter hos, alij, qui neceſſariò dicuntur euenire, *neceſſitate*, vel ſimpliciter, vel ex hypotheſi. Simpliciter voco, ſi ita adeſſe debeant vt impediri nequeant, vt 7. *aph.* 58. *quibus cerebrum concuſſum eſt, neceſſe eſt mutos fieri.* Hoc autem contingit, vel quia concuſſione cerebrum ab vna parte in aliam diſtrahitur, ita vt partes circumuicinæ diſrumpantur, & in hoc caſu patiens reſtituitur: vel quia concuſſum cerebrum diſrumpitur, & conuellitur, & tunc deſperata res eſt: quippe tunc cerebrum in propria ſubſtantia continui ſolutionem patitur, quæ ſanari nequit. Dolor autem à concuſſione non percipitur: quoniam facultas ſentiens deperditur.

Alterum exemplum habes 6. *aph.* 50. *quibuſcunque præciditur cerebrum, iis neceſſe eſt febrem, & bilis vomitum ſuperuenire.* Quod intellige dictum de vulnere, tum cerebri, tum membranarum eius. Nam membri principalis inflammatio

flammatio febrem habet comitem. Fit etiam in vulnere illarum partium maximo, ex quo bilis, quæ omnium humorum tenuissima & leuissima est, commota & agitata, ad ventriculum fluit, & ad os ventriculi refluit, vnde facilè reiicitur. Additur in *Coacis: Necesse etiam esse in cerebri vulnere, partem aliquam corporis syderatam fieri*, hoc est, resolutam: Resolutio autem fit in ea parte, quæ vulneratæ parti respondet: fit etiam in parte opposita. Contingit etiam pro resolutione conuulsio, aut eiusdem, aut oppositæ partis, cuius rei causas exactè mihi videtur rimatus Andr. Laur. in *q. anat. l.* 10. *q.* 5. *&* 6.

Exemplum necessarij ex hypothesi, habetur 6. *aph.* 58. *si omentum excidat, necessariò putrescit.* Hoc est, si pinguedo illa, quæ dicitur omentum, vulnerato epigastrio, per aperturam vulneris, extra peritonæon exierit, necessariò putrefit, nempe ex hypothesi, nisi statim fuerit reductum: nam hæc pinguedo extrà prominens breui temporis spatio putrescit; si verò breue illud spatium præuenias, liberabitur à putredine.

Exemplum aliud tibi proponam, in quo necessarium vtroque modo reperio: Videlicet, *si neruus dissectus fuerit, conuulsionem facit, & necesse est vt dissectus neque coalescat, & fortiter inflammetur.* Neruus dissectus, nempe non totus, nec in directum, sed pars eius in transuersum, propter acutissimum sensum quo pollet, dolorem infert acerbissimum, ex continui solutione: hoc quidem simpliciter necessarium est; vt similiter est simpliciter necessaria ad vulnus cum dolore, inflammatio. Cæterùm fortis inflammatio, & conuulsio, propter multos ichores attractos, quibus neruus repletur, & in latitudinem augetur, in longitudinem decurtatur: hæc (inquam) duo ita necessaria sunt, vt possint Medici industriâ, præcautionis beneficio euitari. Plura exẽpla studiosus reperiet, hæc tamen sufficiant ad præsentis doctrinæ explicationem. Vnum duntaxat libet aduertere, Hippocratem inter morbos, qui necessariò morbis adueniunt, reponere febrem, quæ superuenit rigori: quia scilicet rigorem sine febre antiqui non cognouerunt, quod Galenus *de trem. rig.*

rig.palpit.c. 7. refert ad illius temporis frugalitatem : *Ne mireris*, (inquit ille) *si apud veteres Medicos scriptum inuenias, febrim comitari necessariò rigores, qui sine frigore obueniunt externo, ex ipsa corporis dispositione prodeuntes. Nihil enim tale veteribus, nec balneis tot post cibum, nec vitâ otiosâ vtentibus, accidit. Hoc autem tempore ambo hæc frequenti in vsu habita, etiam rigorem hunc, qui quòd excalfieri nequeat,* ἀνεκθέρμαντος *appellatur, excitant, nouum quoddam & peregrinum symptoma, propter victus nouitatis rationem.*

Cap. II.

Quæ mala supra mala consultò eueniunt.

NAturam consultò operari dicimus, quoties sui compos est, & circa morbos, ea quæ agenda sunt, ac si iudicio regeretur, agit : consultò enim aliquid fieri, & iudicatò, idem est; iudicatò autem fit, quicquid criticè: inde enim criseos nomen est acceptum; nam cùm quispiam vulgaris perturba-

tioni, quam æger in die contemplabili pateretur, adesset, iudicium de ægrotantis vita fieri exclamauit: similitudine ductâ à forensibus causis. Igitur consultò fit, quicquid fit ad bonum: quippe natura, cùm sui compos est, consultò agit. Fieri etiam aliquo modo dicemus aliquid consultò ad malum, non quod iudicatò fiat, sed quod non fiat fortuitò: multa enim sunt, quæ ex priuatione sui oppositi denominationem suscipiunt. Dicimus v. g. mare quietum, non quod quietum sit, sed quod non est procellosum: similiter ver temperatum, cùm tamen calidum sit, sed non valde calidum: & permittente aliquo quidpiam factum existimamus, quia fit eodem non renuente; vnde receptum est apud Iurisperitos, *qui tacet, consentire videtur*. Eodem modo crisis praua, quæ ex prauis signis in die indicatorio fuit præsignificata, & in indicatorio fuit facta, dicetur facta consultò: non quòd naturæ consilio, sed quòd non fortuitò, sed ex suis causis præcognitis fiat. Neque verò aliquid consultò in morbis factum dixerim, nisi quod est criticum:

si est

si est ad bonum, fit naturæ consilio; si ad malum, morbi victoriâ.

Cap. III.

Quæ mala supra mala fortuitò eueniunt.

Fortuitò aliquid fieri dicimus, cùm aliter ac sperabatur accidit, siue à natura, siue à Medico, siue quomodocunque aliter id fiat. Fortuiti isti euentûs, alij sunt ad bonum, alij ad malum. Vis scire quomodo in naturæ operibus possit casus iuuare? considera mulierem vomitu sanguinis laborare, cui si contingant menstrua, sanguineus vomitus cessabit, iuxta *aph. 32. lib. 5.* Considera rursus mulierem, cui menstrua deficiebant, cui si diarrhœa, aut dysenteria superueniat, huic, ex magno ad egerendum conatu, menstrua profluent. Casus etiam sanitatem offert, vt accidit illi, qui referente Marcello Donato, in tempore sagittâ fuerat vulneratus, & post quintum annum, dum frigidâ per æstatem os collueret, innumeris sternutamentis concitatis, fru-

ſtum ſagittæ digiti medij longitudine, acie ferreâ, per nares eiecit. Similiter fuerunt aliqui, quorum hiſtorias reperies apud Pareum in *introductione ad Chirurgiam compendiariam*, *cap.* 23. qui in fluuium prolapſi à quartana conualuerunt. Sicut & phreniticus, qui per feneſtras ſe præcipitem dedit, ac ſubitò reſipuit; & melancholicus, qui vt Gordonius ſcribit, vulneratus fuit in capite vſque ad cranij fracturam, & quamdiu vulnus fuit apertum, tamdiu mentis dilucida habuit interualla, clauſo autem vulnere melancholia rediit.

Fit etiam euentus fortuitus ad malum, vt ſiquando in pleuritide, in qua tuſſis opportuna eſt, vt materia nocens expellatur, nihilominus tuſſiendo vena in thorace rumpatur, & ita ex bona cauſa prauus ſequitur effectus. Vel etiam, ſi natura per hæmorrhagiam è naribus velit ardentem febrem ſoluere, & tunc pars ſanguinis viam narium relinquens, ad palatum conuertatur, & vel ſuâ multitudine ſuffocet, vel ad pulmones deſcendens ſuppurationi, ac tandem phthiſi occaſionem præbeat.

Medicus ſimiliter ad bonum & ad malum

malum fortuitò agit, ita vt vnum intendens, aliud longè diuersum, aut potius contrarium eueniat, vt poſſit illud Horatianum dici.

——— amphora cœpit
Inſtitui, currente rotâ cur vrceus exit?

Ad bonum, vt ſi pharmaco purgante mulieri exhibito, egerendi vi, menſtrua, quæ antea delitefcebant, appareant. *Ad malum*, vt ſi dum pharmacum per inferiora purgans exhibes, vomitum prorites, à quo vena in thorace rumpatur; aut ſi in febre intermittente, exhibito medicamento purgante, materiæ portione ad venas tractâ, reddatur continua; aut ſi ex ſimplice tertiana, deductâ parte materiæ in alium focum, fiat duplex; aut ſi bilis, in cauſone, pharmaco educta, vias per quas tranſit, hoc eſt, inteſtina exulceret, & dyſenteriam efficiat. Iccircò ſapienter, vt ſolet, Hippocrates, *quæ per fortuitum ſucceſſum Medici ægrotos curantes faciunt*, iubet conſiderare.

CAP. IV.

An liceat Medico sterilitatem inducere.

NOn est vna duntaxat huius quæsiti ratio, sed plures. Vniuersale tamen præceptum, ante omnia mente tenendum est, ex D. Paulo, ***epist. ad Roman. c. 3. non sunt facienda mala, vt eueniant bona***, quod etiam iis, quæ inferiùs sunt inquirenda, inseruiet. Cæterùm priùs se offert mulier, fœcũda quidem, sed quæ ne adulterium, quod absente marito vult committere, innotescat, concipiendi in vtero facultati libenter renunciabit. Medicum consulit, auxilium, vt ab ingrauidatione præseruetur, expostulat, mercedem liberalissimè offert. Quisnam erit auarissimus ille Medicus, & propriæ conscientiæ prodigus, qui huic nefariæ prauitati, se adiutorem, immò auctorem præbeat? Deinde offeratur alia mulier, quæ iam semel, aut pluries in partu est periclitata, nec iam ampliùs hoc discrimen subire vult, sterilitatem cupit, remedia

quærit.

quærit. Huic etiam ea denegabo: nam possibile est, vt aut mutatione ætatis, aut præcedentium partuum crebritate, vterus, pariendi tempore, magis lubricus fiat, & impedimenta cessent, quæ partum difficilem reddebant. Si verò hac spe non acquiescat, melius est vt eam timore à concubitu cessare, quàm sterilitatis remedia quærere, persuadeat.

Tertiò, alia erit, quæ ob vitium conformationis, vel alium affectum præternaturam, si grauida fiat, non potest, absque manifesto vitæ periculo fœtum vsque ad maturitatis tempus gestare, num huic sterilitas inducenda est? Auicenna 2.1. *tract.*2. *cap.*17. audacter assentitur: inquit enim: *Medico quandoque necessarium est, prohibere impregnationem, in parua, super quam timetur de partu; & in ea in cuius matrice est ægritudo; & in ea in cuius vesica est debilitas*: videlicet *in parua*, quæ in tenera adhuc ætate constituta est, vt timor sit ne in partu succumbat. Narrat Aristoteles 7. *polit. cap.*16. mulieres Trœzomenûm sæpe sub partu occubuisse, quòd tenellæ nimis conceperant, & adiungit: *Est autem adolescentum coniun-*

ctio improba, ad filiorum procreationem; in cunctis enim animalibus iuueniles partùs imperfecti sunt, & fœmina crebriùs quàm mares, & parui corporis gignuntur: quocirca necesse est, hoc idem in hominibus prouenire. Huius autem coniectura fuerit, quòd in quibus ciuitatibus consuetudo est, adolescentes mares, puellásque coniugari, in iisdem inutilia, ac pusilla hominum corpora existunt; in partu quoque laborant magis puellæ, ac pereunt plures. Forsitan etiam Auicenna dixit *in parua*, hoc est, in muliere, quæ exiguam obtinet molem corporis: nam hæc non habet amplitudinem meatus vteri, respondentem vteri capacitati. Deinde *in ea, in cuius matrice est ægritudo:* quippe potest esse ægritudo, siue sit vlcus, siue tuberculum, siue aliud quidpiam, in ea matricis parte, quæ conceptionem non impediat, attamen gestationis, & magis parturitionis tempore acerbissimos conciret dolores, quibus tolerandis vires non sufficiant. Tandem, *& in cuius vesica est debilitas:* quia scilicet fœtus suo pődere vesicam aliàs debilem disrumpens, interitui occasionem præstabit. Aëtius *tetrab.* 4. *serm.* 4.

*seru.*4. *cap.* 16. paulò aliter quàm Auicenna, tres periculi causas in parturiendo enumerat, cuius verba sunt: ***Quadam mulieres etiamsi concipiant, in partu tamen periclitantur, siue ob vteri paruitatem, vt ob id fœtum perficere non possit; siue ob colli eiusdem angustiam; siue quòd tuberculum, aut tale quiddam in eiusdem ostio exortum est, quod partum impedit.*** Et propter hæc tria, non veretur statim sese accingere ad impediendum conceptum; & vlteriùs progrediens, si mulier concepit, ad corrumpendum fœtum. Verùm de corruptione fœtus inferiùs est dicendum: de sterilitate procurandâ nunc dicam.

Medicamenta, quæ tum Aëtius, tum Auicenna describunt, quoniam è directo conceptionem impediunt, non videntur sine impietatis nota posse à Medico in vsum trahi. Dices forsan, nō tam impietatem esse, mulieri sterilitatem inducere, quàm pietatem, eidem, ne in mortis periculum incidat, præcauere. Profectò si præcauere possem, sanando ea mala, quæ futurum partum periculosum efficiunt, id libenter agerem. Verùm in-

curabilia sunt, inquit. At ego tunc quæram, an aliâ viâ possit mulier periculum effugere, ne cogar ad medicamenta sterilitatem inducentia manum mittere. Potest quidem. Sed quanam viâ? nempe abstinendo à concubitu. Instabis, concubitum non esse factum duntaxat ad sobolem procreandam, sed etiam ad extinguendum libidinis æstum. Marito licitum est cum vxore sterili (siue sterilis sit à morbo, siue ab ætate) coire, ne impellente veneris stimulo scortator fieri cogatur. Mulieri etiam, ex Diui Pauli decreto, *1. ad Corinth. cap. 7. melius est nubere, quàm vri.* Quapropter cessante spe suscipiendæ prolis, non adhuc cessat coniugij necessitas: Esto, coëat vir cum vxore, quam scit sterilem esse, vel quam nouit vltra parturiendi ætatem esse constitutam, neque curabo an eam iuuenem acceperit, an vetulam: vnum duntaxat considerabo, nempe hunc concubitum nullam naturæ violentiam inferre, quæ tamen, remediis fœcunditati aduersantibus, infertur. Itaque Medicus naturæ minister, & adiutor, nihil magis effugere debet, quàm vt eiusdem fiat inimicus,
&

& destructor. Ne tamen in me prouerbium iactetur, *ne sutor vltra crepidam*, non licet hîc ampliùs theologizare; neque etiam mulieres steriles, quas miraculo concepisse sacra pagina narrat, in exemplum sunt trahendæ, sed aliæ potiùs quæ fœcundæ fieri possunt, diligenter adiuuandæ, ad quod munus verùm valeant mandragoræ, quas Rachel sumpsisse fertur, non est hîc locus disputandi.

CAP. V.

De sterilitate, quæ venarum sectione inducitur.

CVm de sterilitate, quam Medicus suis auxiliis inducere prohibetur, agerem, venit mihi in mentem aliquarum venarum sectio, quæ si infœcunditatis suspicionem iniicit, non est temerè tentanda. Inualuit inter mulieres opinio, ex sectione venarum pedum reddi fœminas steriles: quod forsitan ex Hippocratis doctrina, *in libello de locis in homine*, non sat bene intellectâ originem habet; siquidem ve-

næ cauæ processum describens, adiungit : *Dispertitiones in femoribus facit, & ad tibias intus fertur in malleolos. Hæ infœcundum faciunt hominem, cùm fuerint sectæ, & in magnos digitos desinunt.*

Animaduertere tamen oportet, priùs ab Hippocrate esse dictum, *aliæ duæ venæ à vertice iuxta aures*; deinde harum duarum venarum diuaricationes per collum ad septum transuersum, indè ad inguina, & femur, tibias, & malleolos, tanquam per parenthesin esse positas : vt rursus venis, quæ sunt iuxta aures, adiungat, *hæ infœcundum faciunt hominem, cùm fuerint sectæ.* Poterit tamen aliquis existimare, non inanem esse muliercularum opinionem, siquidem venæ istæ, quæ in talo, aut iuxta magnos digitos secantur, magnum habent cum membris genitalibus consortium : & in mulieribus quidem, ab vtero euacuant; in hominibus, etiam ab illis partibus quæ generationi inseruiunt. Vnde magnis pedum digitis Constantinus Africanus, & alij, emplastra aduersus sterilitatem applicant. Hoc de frequenti sanguinis missione si intelligas, non leui duceris fundamento:

fundamento : refrigerantur namque membra genitalia crebrâ sanguinis extractione; si verò raro, & vrgente necessitate id fiat, nihil timendum, immò sperandum est, vt sanguinis missione partes illæ contemperentur, & expurgentur, quod experimento est compertum.

Certissimum verò est, Hippocratem non de venis pedum loqui, sed de iis quæ sunt ponè aures. Quamuis autem sint eædem, nihilominus ex diuersitate locorum diuersas habent conditiones: nam iuxta aures possunt spirituum, aut seminalis materiæ influxum, si secentur, prohibere; quem non prohibent sectæ in malleolis. Sed an hæc sit causa, cur infœcundum hominem reddant, an quælibet alia, diligenter inquirendum est.

Hippocrates tum in *libello de locis in homine*, tum in *libello de aëre, aquis, & locis*, rem ita se habere affirmat, vt scilicet harum venarum sectio infœcunditatem pariat : Rationem verò cur id fiat, nullam assignat. At in *libello de genitura*, cur ita accidat, scriptum reliquit his verbis : *Quibuscunque verò*

iuxta

iuxta aures vena secta sunt, hi coëunt quidem, & genituram emittunt, verùm modicam, & debilem, & infœcundam. Nam plurima genituræ pars à capite iuxta aures, in spinalem medullam procedit; ipse autem transitus, cicatrice sectioni inductâ, consolidatus est. Cùm tamen hæc ratio pro hypothesi habeat, semen à capite, siue à toto corpore diffundi: Auicenna qui similitudinem filiorum ad patres, ad descensum seminis ex omnibus & singulis corporis partibus refert, eam amplexatur. Gentilis, qui licèt descensum seminis neget, confluxum tamen spirituum à toto admittit, eidem inhæret rationi: *licèt enim*, inquit ille, *semen non concurrat ex toto corpore ad generationem, nihilominùs à quolibet membro præcipuo accipit spiritum peculiarem, & ex multis spiritibus fit vnus genitiuus, neque aliter posset fieri assimilatio filiorum ad parentes. Quia verò ex sectione venarum, quæ sunt post aures, deficit spiritus animalis, qui non potest descendere, hinc fit vt semen non habeat requisitam materiam ad spiritum genitiuum, & ex consequenti, non sit fœcundum.*

Parum

Parum ab hac Gentilis ſententia, recedit Cardanus, à quo Septalius eſt mutuatus: ſentit enim materiam ſeminis, & ſpiritus ad generationem aptos, quæ duo cerebrum ſuppeditat, impediri factâ cicatrice. Nam licèt hac cicatrice non impediatur fluxus materiæ ſeminalis à cerebro ad ſpinalem medullam: quæ cerebro contigua eſt; tamen per ſpinalem medullam, ob frigiditatem, minor copia ſpirituum defertur, & ideò ſemen fit infœcundum. Poſtularet præſens occaſio, vt agitaretur quæſtio, vtrùm ſemen excidat à toto: cæterùm, ne omnia vbique repetantur, ſupponito nec ſemen decidere ab vniuerſo corpore, (quamuis id Polybius potius quàm Hippocrates aſſeruerit) nec neceſſariam eſſe ſpirituum omnium congregationem, vt vnus fiat ſpiritus genitiuus. Præterea licèt cerebrum nihil omnino mitteret, non iccircò magis deficeret ſeminis materia, quàm amputato brachio, aut crure. Quòd ſi ex coitu magis caput, quàm reliqua membra, debilitatur, id accidere dicendum eſt, tum quia cerebrum eſt exangue, & magis ſentit ex ſanguinis

defectu noxam; tum quia pars est extrema, & non habet aliam à qua, secundum indigentiam, trahat; tum denique quoniam in cerebro multi necessarij sunt spiritus, ad cogitationes, & reliquas animales functiones obeundas: quapropter læditur ex quolibet spirituum defectu.

Vallesius existimat cerebrum refrigerari, quia obductâ cicatrice impeditur ascensus spirituum vitalium à corde, ex quibus fit spiritus animalis; cerebro autem debili existente, vniuersi corporis vires eneruantur: propterea, sicut cerebrum spiritu vitali priuatur, ita semen animali, & subinde infœcundum redditur. Verùm probare debuerat, fieri spirituum vitalium ascensum per has venas: forsitan non venas, sed arterias esse, quæ secantur, existimauit, quod in Hippocratis doctrina discernere est impossibile: siquidem venarum nomine arterias comprehendit. Ita est, sed cùm, in *libello de locis in homine*, de venarum diuaricationibus, quæ venæ cauæ inseruntur, agat, non potest non de venis intelligi: quippe arteriæ alterius sunt consortij. Addit alteram rationem

rationem idem Vallesius, quasi priori non acquieuerit: dicítque fortasse simul cum venis illis præscindi neruulũ, quem Vesalius se in multis vidisse affirmat, descendentem à sexta coniugatione ad vasa seminalia. Cæterùm dum ignoramus, quem vsum neruulus iste præstet ad coitum, ratio hæc non est admittenda, præcipuè quoniam id quod in multis Vesalius vidit, videtur non vidisse in omnibus, ac proinde non potest vniuersali rationi præstare fundamentum. Tandem tanquam necessarium supponit, id quod fortuitò, & ex errore fit, nempe neruuli sectionem, quando vena secatur.

Andreas Laurentius non admittit, ex harum venarum sectione sequi infœcunditatem: quippe hæ venæ externæ sunt, adsunt autem interna vasa insigniora, per foramina cranij ad cerebrum excurrentia: & quamuis per externas venas (ait ille) ferretur semen, adhuc cicatrix obducta non impediret semini transitum: si enim sanguis crassior, per hæc vasa fluit ac refluit, cur semen spiritibus turgens eâdem via non penetrabit? Exter-

nas,

nas, has venas esse contendit, non tamen id ex anatomia probat; nec Vesalium refellit, qui harum venarum descriptionem prosequutus, eas ad interna penetrare affirmat. Cęterùm licèt cicatrix non omnino impediat seminis spirituúmve transitum, possunt Laurentio aduersarij respondere, satis esse, quòd aliqua pars duntaxat impediatur: siquidem, vt inquit Hippocrates in *libello de genitura*, qui sectas habent has venas, coëunt quidem, sed modicam, debilem, & infœcundam genituram emittunt. Cùm ergo non priuentur omnino coëundi potentia, non omnino impeditus debet esse transitus. Poterit tamen aliquis adhuc obsistere, Hippocratem non de infœcunditate sola, sed de impotentia agere: siquidem in *libello de aëre, aquis, & locis*, ex sectione harum venarum, Scythas ait cum vxoribus coire non posse. Fateor, sed Scythæ non solùm venas secabant, verùm sanguinis profusione sese omnino refrigerabant, adeò vt præ spirituum inopia obdormiscerent, & postea resurgentes impotentiam ad coitum sentiebant.

Cùm

Cùm verò Andreas Laurentius neget hanc sectionem esse infœcũditatis causã, alias quęrit, cur Scythę sint infœcundi, & tres elicit ex Hippocrate: prima est frequens equitatio, altera ischiaticus dolor, tertia sanguinis profusio. Has ego omnes admitto, immò, & plures alias. Et quod attinet ad priorem, licèt Aristoteles *sect.* 4. *prob.* 12. eos qui equitant, libidinosiores euadere affirmet, ad moderatam equitationem id retulisse censendus est; Scythæ verò continuo equitatu lassantur, quod ex *eodem libello* addisces, ex lassitudine autem, maximè circa genitália, gonorrhœa vtplurimùm procedit, sic Aristoles 5. *probl.* 31. delassatis, inquit semen per somnum effluere. Paulus etiam *lib.* 1. *cap.* 35. lassitudinem vnam causam esse docet abolendæ Veneris.

Altera causa, coxendicus nimirum dolor, infœcunditatem potest efficere, quia, vt ait Laurentius, nihil æquè ac dolor corpus infirmat, & humores corrumpit. Adde tu aliam rationem, videlicet eundem dolorem musculos, & neruos femoris, coxarúmque, genitalia attingere, & posse inter

ter hæc consensum dari, vnde, vt constat ex sacra pagina, *Gen.* 24. & 47. pactum, aut iusiurandum fiebat, manu femori impositâ, quia ibi generandi vis adest.

Tertia, nempe sanguinis nimia profusio, corpus relinquit exangue, & præ inopiâ spirituum, debile, ac impotens ad coitum; quòd si impotens, certè & infœcundum. Hæc omnia ita se habent: quibus poteris adiungere quartam causam, hoc est, braccas strictas quibus vtuntur; hæ enim, vt equitationi sunt accommodæ, ita generandi muneri nocuæ, quippe genitalia his compressa, nec augentur, nec nutriuntur, ac subinde atrophiâ laborant.

Verùm quamuis ob has causas Scythæ sint ad coitum inepti, addidit nihilominus Hippocrates venarum post aures sectionem. Siquidem narrat, eos à frequenti equitatione coxendicos pati dolores, tunc adiungit: *medicantur autem sibi ipsis hoc modo, à principio morbi vtramque venam retrò aures incîdunt; quo facto, sanguine multo promanante, somnus eos corripit præ imbecillitate, sicque*

ſicque obdormiſcunt, quorum quidem aliqui depulſo ſomno ſani exurgunt, aliqui verò minimè. Atque mihi ſanè videntur, eâ medicatione ſeipſos perdere; venæ enim retrò aures ſunt, quas ſiquis ſecet, ſterilitatem inferet iis quibus ſecantur: quare id etiam ipſis ex earum inciſione accidere certum eſt. Ex his colliges, venarum poſt aures inciſionem, iuxta Hippocratis doctrinam, eſſe cauſam ſterilitatis: hoc autem omnibus in vniuerſum commune erit; Scythis autem, qui ex eâdem ſectione ſanguinem multum profundebant, non ſolùm ſterilitatem, ſed impotentiam etiam acquirere, peculiare erat. Præterea, cùm & in *libro de genitura*, & in *libro de locis in homine*, nullâ Scytharum mentione factâ, venas quæ ponè aures ſunt, ſectas ſterilitatem inducere, ſcriptum ſit, non eſt cur Laurentius infœcunditatem ad ſolam equitationem, coxendicum dolorem, ſanguiníſque fluxum referat, ſed Hippocrati aſſentiatur, ex hac ſectione infœcunditatem agnoſcenti, aliàs ſi hominem proli incumbentem hac ſectione perderet, non impunè id faceret.

Neque

Neque verò Galenus aduersatur, vt ei Auicenna imponit, qui 4.1. *doctr.5. cap.20. & 24. 3.tract.1. c.3.* aliquando Galenum id negâsse, aliquando ancipitem fuisse, scriptum reliquit: nullibi quidem Galenus, venarum post aures sectione sterilem hominem reddi, aut admittit, aut negat. Suspicatur cum Cardano, Septalius, forsitan hoc scriptum à Galeno in *commentario ad libellum de locis in homine*, quem in *catalogo de libris propriis* commemorat, ad nos tamen non peruenit. Sed quis affirmabit, Auicennam hunc commentarium vidisse? forsitan idem Auicenna Galeni verbis fuit seductus, quæ ita habent 6. *epid. sect.5. com.22. non tamen de secanda vena præceptum verum esse mihi persuadeo*; est autem præceptum, *cùm adsunt cedmata, venæ in auribus posteriores scindendæ sunt.* Vocat Hippocrates *cedmata*, fluxiones in crura decumbentes, in quarum curatione sectionem venarum post aures non probat Galenus. Hoc autem quid commune habet cum infœcunditate, quam eandem sectionem inducere, ab Hippocrate alibi dicitur? Ex his colliges, fatuè

fatuè Augenium *de sanguinis miss. lib. 9. cap. 9.* Auicennæ non acquieuisse, & Galenum rectè sentire dixisse, & ab Hippocrate discessisse, & infœcunditatem ab hac sectione fieri negâsse, nullâ aliâ permotum ratione, nisi quia experientiâ constat, nihil eiuscemodi contingere. Sed quisnam, precor, hoc expertus est? testes ille in re magna, qualis est aduersatio magno Seni, adducere debuerat.

Existimo ergo, veram esse doctrinam Hippocratis, & venarum post aures sectione, infœcunditatem induci, cuius rei nullam aliam causam esse crediderim, quàm cerebri imbecillitatem ab hac sectione contractam: quippe non superfluente in cerebro nutrimento, propter cicatricem harum venarum, transitum sanguinis impedientem, debilitas oritur; semper autem cerebri debilitas, siue ab hac, siue ab aliâ quauis causâ procedat, neruosum, musculosúmque genus debilitat, & spirituum animalium paupertatem inducit. Quapropter, & penis erectio valde pigra & imbecilla fit, & semen pauco turget spiritu. Hippocrates au-

tem,qui ex hac ſectione infœcunditatem induci ſcripſit, non negauit poſſe etiam ſteriles reddi homines à quacunque aliâ causâ cerebrum debilitante.

Cap. VI.

An liceat Medico aborſum medicamentis prouocare.

Contingit nonnunquam fœminas, quæ delicto conceperunt, maiore delicto velle fœtum perdere, & ſocium criminis ſibi aſciſcere cupiunt Medicum, quem pretio corruptum iri ſperant, precibus vrgent, & vt ſub ſpecie euitandi mali, malum committat,perſuadere conantur. Abſit tamen vt animus ingenuus, auaritiæ laqueis irretiri ſe ſinat, vt in tantum incidat facinus. Non eſt mei muneris concionatorem agere, ſatis iam medicinam facientes ſanctorum Patrum admonitionibus ſunt inſtructi, ſacrarum ſynodorum, ſummorúmque Pontificum decretis admoniti, ac Iuriſconſultorum legibus cohibiti, quarum mentionem

tionem facit Galenus *lib.an animal sit, cap.5.*

Existimauit Aristoteles, non turpi, sed leui de causa, videlicet, *si multitudo tanta prolis alicui contigerit, vt duplicatus sit filiorum numerus*, licitum esse *anteuenire, vt non concipiantur.* Liceat autem viro Ethnico ita sentire, Christiana pietas aliter fieri postulat, vt superiùs demonstraui. Adiungit Philosophus: *nam postquàm concepti sunt, aut sensum, aut vitam acceperunt, nefas est contingere eos.* Cæterùm his verbis duo tempora denotantur, primum est *postquàm concepti sunt*, hoc est, simulatque embryo in vtero coagulationem subiit nondum tamen habet animam; alterum vbi *aut sensum, aut vitam acceperint*, nempe cùm iam est animatum: quippe ab anima sensum, vitámque accipit. In vtroque tempore conceptum perdere nefas est: in vtroque enim fit læsio, minor tamen, antequàm fœtus sit animatus; nam tunc non homicidium, sed homicidio proxima culpa censetur. Postquam verò animam accepit, qui eum perdiderit, non potest ab homicidij crimine excusari.

Sunt qui à periurij crimine Hippocratem liberare contendant, qui in suo *iureiurando* se nulli vnquam mulieri pessum fœtûs corruptorium daturum pollicitus fuerat, & tamen in *libello de natura pueri*, psaltriæ consilium dedisse fatetur, vt saltu septies repetito sex dierum conceptum in terram proiiceret. Dicunt isti, iurâsse quidem probum virum, se nunquam fœtum medicamentis corrupturum; at sex dierum conceptus, genitura adhuc erat, non fœtus. Cæterùm an ita à periurio liberetur, non sat scio: vnum tamen non ignoro, conceptum, licèt adhuc non informatum, perdere nefas esse. Quare ne Hippocrati, viro ab omni prauitate alieno, hæc nota inuratur, satius est dicere, libellum *de natura pueri*, inter spurios, tum ob hanc, tum ob alias rationes, recenseri.

Prohibebatur in Diuina lege, *Exod.* 21. tam informem, quàm formatum iam fœtum corrumpere, sed non pari vtrumque pœnâ: etenim formatum perdere, homicidium erat, ac proinde occisor morte plectebatur; informem corrumpere, non adhuc homicidium

erat, ac proinde damnum illatum pœnâ pecuniariâ puniebatur, iuxta æstimationem parentis: quod licèt vulgata lectio non omnino manifestè nobis tradat; traditur tamen manifestissimè in translatione Græcâ, & ita verba legis intelligunt, cum D. Augustino, multi sacri auctores, statuentes peccatum esse graue, non formatum adhuc fœtum disperdere; homicidium verò, si iam formatus perdatur. Ideò graues pœnæ iis statutæ sunt, qui genituræ siue inanimati fœtûs exitum remediis solicitant, vt asserunt Siluestrina, Toletus,& specialiter constitutio Sixti V. edita Romæ anno 1584. quod diffusè admodum pertractat Poncius aduersus Fienum contrarium asserentem.

Sed iam magis ad medicos fines libet accedere,& considerare,an mulier, quæ in partu solet periclitari, licitè possit aborsum, ad euitandum periculum,procurare. Aëtius assentitur, nec mirum,qui enim ob hanc causam, sterilitatem inducendam admisit,admittit etiam ob eandem aborsum. Auic. 21.3. *tract.2.cap.*12.sic ait: *Quandoque aborsus in quibusdam horis necessarius est, de*

 quibus

quibus est illa, quæ est cùm prægnans est puella parua, supra quam timetur mors ex partu; & de illis est, cùm in ore matricis est nocumentum, & additio carnis stringens super fœtus egressionem, quare interficit; & de illis est apud mortem fœtus in ventre prægnantis. Rhasis 9. *contin.* caput peculiare scriptum reliquit, cuius inscriptio est, *de aborsu prouocando, & prohibendo.* Longè maiore impietatè Theodorus Priscianus *lib.* 3. *cap.* 6. ita inquit: *Quemadmodum pro conseruanda arbore rami arescentes abscinduntur, & naues pressæ onere, cùm magnâ tempestate huc illuc agitantur, remedium est onus deponere, vt ex damno illo videantur habere remedium: ita si fœminæ, propter vitium vteri, aut ætatis impotētiam, periclitentur ex partu, & immineat vitæ periculum, oportet vitam emere ex partûs iactura.* Sic ille, quasi arborum regeneratio, aut mercium æstimatio, cum vita hominis debeant comparari. Sanè, quoniam causæ ab auctoribus narratæ, non certam mortem, sed duntaxat periculum minantur, non est tentanda certa infantis mors, vt vitæ matris dubiæ consulamus. Solùm si fœtûs iam mortui

signa

ſigna adſint, extrahendus eſt; viuus autem nequaquam enecandus.

Maiorem dubitationem infert prægnans acuto morbo laborans, cui valde Hippocrates timet, ne abortum faciat. Nonne acutus eſt morbus, qui à materia turgente fit? maximè, & adeò acutus, vt in eius curatione, hoc eſt, purgatione, nihil ſit cunctandum. At turgentem materiam, in muliere prægnante, non audet magnus ſenex educere, niſi in iis menſibus, in quibus aborſus non valde timetur, hoc eſt, *à quarto vſque ad ſeptimum.* Vnde conſtat, magis animum ad grauiditatem, quàm ad acutiem morbi conuertiſſe, & conſeruationem fœtûs curationi morbi acuti prætuliſſe. Similiter ſi grauida mulier ſanguinis miſſione opus habeat, quæ *in omnibus febribus*, teſte Galeno 11. *meth. cap.* 17. *præſtantiſſimum remedium eſt*: venam ſecare permittit primis menſibus, quando ſcilicet fœtus adhuc exiguus non multum poſtulat alimentum, & ſic ab extractione ſanguinis paruum ſuſcipit detrimentum: At verò *ſi fœtus ſit maior*, ſanguine miſſo *ſequitur aborſus*; quare

videtur insinuare, tunc temporis à sanguinis missione esse abstinendum Plura reperietis apud authores, præcipuè duos neotericos, Petrum Garciam in suo *libro de loc. affect. in fine*, & Ioannem Baptistam Siluaticum in suis *contr.* 81. qui multa in hanc rem congerunt.

Porrò hæc sententia, prædictis auctoribus non solùm pietati Christianæ, sed medicis etiam documẽtis videtur consona: quippe, & remedia abortum facientia violenta cùm sint, mulier graui morbo oppressa non tolerat, & periculo ex morbo, periculum ex abortu adueniens, ad interitum deducit. Nihilominùs libenter hos auctores interrogarem, si morbo acuto lethalia adsint signa, erítne mulier certæ morti relinquenda, an potiùs anceps remedium tentandum? Mihi non dubium est, potiùs esse matris vitæ consulendum, nullâ habitâ vitæ fœtûs considerationem, quàm iniusto quodam timore, ab omni remedio prorsus cessare, vt cum matre simul infans deperdatur. Quæ enim erit spes vitæ fœtûs, si mater moriatur? Numquid confugies ad partum Cæsareum? At dum graui-

da

da mulier morbo acuto laborat, fœtus non adhuc maturus est, ac proinde non vitalis. Nec verò ita facilis res est partus Cæsareus, vt ex eo infantis liberationem queas sperare. Remedium fateor abortire faciens violentum est, & id mater morbo acuto oppressa vix sustinebit. Ita est, hoc tamen solùm probat remedium esse anceps, quod præstat tentare potiùs, quàm ægrum certæ morti relinquere. Aborsus per seipsum laboriosus est, & labor iste labori ex morbo additus fit intolerabilis; sed non desunt virtutem corroborantia auxilia, & variæ spiritum reficiendi viæ; & dum hæc aguntur, non omnino spes extinguitur: extingueretur autem, si Medicus omninò à remediis abstinuisset. Moribunda filia mea ex morbo acuto, cùm in tertio gestationis mense constituta esset, die decimaquartâ, siue ex vi morbi, siue ex euacuationibus factis, abortiuit, & euacuatione sanguinis post aborsum sequuta, à morbo euasit. Dubius eram, an illi aborsum prouocarem, immò ad prouocandum inclinabam, nec alia spes erat, præoccupauit natura: quam si aliàs Medico

imitari licet, in hoc casu cur non licebit?

Cap. VII.

An Medico liceat febrem inducere.

VNiuersale malum febris, quæ fit calore innato igneam ferè naturã, in corde, adepto, per vniuersúmque; corpus demandato, perniciosa res est, ita vt nulla perniciosior corpori contingat. Forsitan ideò videbitur alicui, nunquam febrem posse tutò excitari, præcipuè cùm certus esse nemo queat, an excitata febris intra ephemerarum limites se contineat: possumus namque in eum corporis apparatum incidere, qui accenso igne malignitatem sapiat. Si verò dicas, naturam multoties frigidos morbos, superueniente febre sanare, vti sunt apoplexię, cóuulsiones & ab ebrietate obmutescentiæ; Medicũ verò naturę imitatorem eâdem viâ progredi debere: scito, Medicum naturæ, consultò, non verò coactè, fortuitóve operantis imitatorem esse: dum

dum igitur febre morbum curat, vel coactè, vel fortuitò id agit. Cura porrò coacta tunc recipitur, cùm aliter agere non possumus: si verò eò vsque expectemus, iam ægrum debilem reperiemus; debilem verò ægrum, superueniente febre debilem reddi, & oneri ferendo ineptum esse, quis est qui non videat? Itaque ægrotanti iam priore morbo conflictato, febrem inducere, nihil aliud est, quàm malum malo addere; hoc autem rectæ rationi opponitur. Tandem natura, quoad potest, febrem respuit, eíque reluctatur: naturæ quis aduersabitur?

Hæc si rectè considerentur, Medicum admonent, ne ex professo febrem inducat, non tamen eum omnino deterrent, vt præ metu futuræ febris, desinat morbos frigidos calidis remediis tractare. Contingat alicui corripi apoplexiâ, cuius causa est frigidus, crassúsque humor cerebri ventriculos occupans, num Medicus præ timore futuræ febris, à remediis causæ mali obuiantibus abstinebit? Est profectò grauissimum malum febris, sed quo aliud grauius possit accidere: præstat

autem ex magno periculo hominem, quamuis per media pericula, liberare. Incidet,inquis, Medicus in morbosum apparatum, ex quo suscitabitur maligna febris. Esto, sed adhuc magis ex apoplexia, quàm ex maligna febre patiens periclitabitur. Instas adhuc, in vltimo exterminio virium, languorem maximum adesse. Aduerte tamen,morbum priorem,nempe apoplexiam,conuulsionémve esse morbos exactè peracutos, qui intra paucas horas,ne dicam dies, terminantur. Quamuis autem febrem post alium morbum excitare, malum malo addere dicatur, nihilominùs tunc febris est malum,quod habet rationem boni. Proinde tentanda est isthæc curatio,quæ licèt coacta, vtilis tamen esse potest. Porrò natura, quæ non ducitur ratione, semper illud damnum, quo in præsens molestatur, cupit effugere: propterea febrem abhorret, quando febris vrget. Medicus aliter se gerere debet: quippe ratione duce operatur: iccircò interdum media eligit laboriosa,ad finem optimum consequendum. Caueat tamen Medicus,ne periculosa ista auxilia aggrediatur,

tur, quin priùs ægrotantis consanguineos, & amicos moneat, posse ex medicatione istâ febrem suscitari, posse item febrem suscitatam vtilem esse: quod si non accidat, hoc vnum sciant, ægritudinis statum, remedium istud expostulare, nec esse alium euadendi modum.

Commemorandus hoc loco est *aphorismus* 44. *sect.* 6. *Quibus ex stillicidio vrinæ, ileos superuenerit: in septem diebus pereunt, nisi febre superueniente, satis vrina fluxerit.* Putant aliqui Galenum falsum fuisse, se hanc sententiam non intelligere: verùm isti aut oscitanter Galeni contextum legerunt, vel calumniandi animo armati, eius verba susceperunt. Refert ille opinionem quorundam, dicentium iliacum dolorem ex inflammatione ortum habuisse, & vnam tantùm spem habere solutionis; inflammationis cessationem, cum qua etiam febrem sedari est necessarium: bonum igitur signum solutionis earum, quæ sunt in ileo passionum, esse febrem vel remissam, vel solutam. Hanc expositionem damnans, ait, *melius esse, si fateamur nos ignorare,*

quæ

quæ in aphoriſmo Hippocrates dixerit.

Cæterùm Galenus veritatem aphoriſmi non negat, quamuis an legitimus ſit, non audeat pronunciare: Sed iliacam paſſionem à frigidis humoribus poſſe ortum ducere admittit, & ſuperueniente febre, & vrinarum euacuatione iuuari. Sed cùm ab vrinæ ſtillicidio ileon ſuperuenire Hippocrates dicat, putârunt aliqui ex repletione veſicæ comprimi inteſtinum ileum, & ita dolorem fæcúmque retentionem in ea parte fieri. Hoc Galenus reiicit: quippe multos ſe vidiſſe ait, quibus ex vrina retenta, veſica intumuit, nec proinde iliaca paſſio fuit ſubſequuta; deinde veſica, ſi in tumorem attollatur, ſolùm poteſt rectum premere inteſtinum. Tandem non magis ex veſicæ repletione poteſt quiſpiam ileoſus fieri, quàm mulieri grauidæ ex repletione vteri idem poterit accidere.

Fuchſius aphoriſmi verba violenter trahit: ſiquidem exiſtimat Hippocratem velle, ſi ſtillicidio vrinæ, quod ex frigidis crudíſque humoribus ortum habet, ileos ſuccedat, ſeptem diebus ægros mori; ſi verò non ſuccedat ileos,

ſed febris,tunc ſi vrinæ ſuccedit fluor, non moriuntur,ſed liberantur. Verùm ſiquis aphoriſmi verba conſulat, reperiet non iis hanc interpretationem conuenire.

Mihi quidem videtur ſententia non admodum intellectu difficilis : etenim vrinæ ſtillicidium , ex humoribus crudis collum veſicæ occupantibus fieri, nemo eſt qui neſciat;multiplicato verò per epigeneſin malo, poſſunt iidem crudi humores inteſtina tenuia obſtruere,ac ſubinde voluulum , ſeu iliacam paſſionem excitare : febris autem, quæ affectus eſt calidus , poteſt vtriuſque mali cauſæ(quæ vtrobique eadem eſt,nempe frigida) aduerſari. Si igitur febris ſuperueniens , id quod optatur efficiat,hoc eſt , humores craſſos attenuet , lentos incîdat , cognoſcetur ex fluxu vrinæ , qui non contingit , niſi causâ mali ſuperatâ. Itaque requiruntur, vt hominem , & vrinæ ſtillicidio, & ileo oppreſſum liberent : febris quidem , tanquàm cauſa ; vrinæ fluor , & tanquam cauſa, & tanquam ſignum: videlicet tanquam cauſa , quia veſicam liberat ab illo onere ; tanquam verò ſignum,

ſignum, quia indicat attenuatam iam eſſe pituitam.

CAP. VIII.

Quando morbum morbo curare conueniat, quando non.

FOrſitan exiſtimabit aliquis perpetuæ veritatis documentum eſſe, vt quos morbos poſt alios natura in ægrotantis bonum excitat, eoſdem debeat Medicus excitare. Verùm res non ita confusè, ſed adhibitâ diſtinctione eſt excipienda: nam inprimis natura coacta non eſt imitatione digna, E.g. cùm verſus partem dolentem vicinas partes comprimit, vt ei ſuppetias ferat, & ſanguinem, ſpiritúſque in ſubſidium mittens, inflammationi præſtat occaſionem. Hoc quidem non liberè facit, ſed ab inſtinctu quodam facere cogitur. Deinde non eſt imitatione digna, in iis quæ in bonum eueniunt, tanquam ſignum, non autem tanquam cauſa, vt multa horrenda quæ criſin antecedunt, deliria, iactationes, vigiliæ, ad quæ cuncta ſequitur in morbi iudicatione

dicatione solutio, num Medicus hæc etiam symptomata excitare conabitur, vt in bonum ægrotantis cedant? minimè. Sicut è contrario aliquæ euacuationes à natura malæ censentur, ab arte verò bonæ, vt euacuatio atræ bilis αὐτομάτως, mala; προαιρετικῶς autem ope cathartici, bona. Cur? nempe quia atra bilis, si exeat, prauam corporis dispositionem indicat; si pharmaco educatur, corpus à grauissima morbi causa liberatur.

Quæres, an in febre ardente, in qua bonum dixit Hippocrates 4. *aph.* 58. rigorem, sit rigor à Medico excitandus? Scito, adhuc in ea febre rigorem, tanquam transmissæ materiæ signum laudari: nam rigori, non vult Galenus solutionem febris attribuere, sed euacuationi post eum euenienti. Quorsum ergo rigorem èxcitabit Medicus? At dices, Celsus *lib.* 3. *cap.* 9. non in ardente, sed in febre lenta diuturna, infusione frigidæ aquæ, & olei, horrorẽ excitauit. Cæterùm hoc fecit non methodicè, sed curatione quadam, quam fortuitam iure appellabo; inquit enim: *Nonnunquam etiam febres lentæ sine vl-*

la

la remissione corpus tenent, ac nec cibo, nec vlli remedio locus est. In hoc casu Medici cura esse debet, vt morbum mutet: fortasse enim curationi opportunior fiet. Sæpe igitur ex aqua frigida, cui oleum sit adiectum, corpus eius pertractandum est: quoniam interdum sic euenit, vt horror oriatur, & fiat initium quoddam noui motûs. Sic ille. Nec est præter rationem, animi perturbatione humores pigros excitari, excitatos curationi magis cedere, quod iam in metastasi ab anima ad corpus diffusè comprobauimus.

Verum itaque est id, quod priùs cœperam dicere, nempe quando morbus, qui bonæ causæ rationem habet, à natura fit, posse etiam fieri à Medico. Quamuis autem opponas, morbum qui superuenit grauiorem esse, nam Celsus febrem lentam excitatâ acutâ febre curat; nihilominùs potest morbus esse leuior, curatu tamen difficilior, ac proinde ad facilem curationem necessarium erit, morbo grauiore inducto leuiorem curare. Sunt tamen aliquæ rationes, quæ nos ab hac curatione morbi morbo, dissuadeant, quibus

quibus respondere erit operæpretium.

Inprimis licèt ascites, teste Galeno 4.*aph.* 11. ex maiore frigiditate quàm tympanites fiat; est tamen ex Aëtij sententia, *tetrab.* 2. *serm.* 2. tympanites ascite periculosior, quoniam tympanites non admittit curationem, datur enim medicamentum quod aquam, non quod flatum educit; fit quóque in ascite, non in tympanite, paracentesis. Quis ergo, vt magis periculosæ ægritudini, nempe tympaniti, succurrat, ascitem inducet? quod non aliter fieri potest, quàm maiorem frigiditatem, quæ vitæ nostræ aduersatur, inducendo. Respondeto tympanitem, & ascitem non habere contrarias causas; at tunc solùm morbus morbo curatur, cùm causa vnius causæ alterius contrariatur. Tympanites, & ascites, à frigiditate fiunt: à minore tympanites, à maiore ascites: si frigiditatem inducas, ascitem afferes, sed tympanitem non auferes. Præterea tam tympanites, quàm ascites aquam, & flatum simul habent, sed à præpotentiore denominationem suscipiunt: dicitur namque ascites vbi aqua abundat,

dat, flatûs verò in minore sunt quantitate; tympanites verò, vbi flatu corpus turget, licèt aqua non desit. Et sic in hoc morbo non admittimus curationem per alium morbum.

Secunda difficultas. In suffusionibus oculorum, densitudo eius humoris, qui locum pupillæ inter crystallinum, & corneam tunicam implet, visionem interturbat, sed nondum omnino impedit, vsquedum in eam, quam Arabes cataractam vocant, concreuerit, sed non antequàm concrescat punctioni cedit. Si verò ad faciliorem curationem, concretionem medicamentis alimentísque procuraueris, quid efficies? nempe cæcitatem, ac proinde id medicamentis habebis, quod, vt non eueniat, medicamẽtis procurare debueras. Responde, Medicos ocularios incrassantia expostulare, vt concrescat humor, qui acu est extrahendus; attamen hi lucro intenti cæcutiunt, nec aduertunt cum quanto periculo res agatur: siquidem potest simul in oculo humor concrescere, & alius optico neruo adhærere, ac fieri illud malum, quod à Barbaris *gutta serena* appellatur, & irremedia

remediabile eſt, propterea in hoc etiam caſu abſtinebo à curatione morbi per morbum.

Tertia difficultas. Celſus qui morbis morbos curari velle videtur, adiungit: *Neque tamen ideò iſta medicina non eſt temeraria.* Temeritatem Medicus euitare debet. Reſpondeo, temerariam eſſe curationem, quoties aliâ viâ neglectâ, hanc ſuſcipimus; aut quoties antequàm periculum graue ſit, ad hunc curandi modum conuertimur. Cæterùm ſi nulla adeſt via, ſed vndique anguſtiæ, ſi periculum imminet, non eſt temeritatis, ſed ſani conſilij proles. Ita tamen intellige, me velle ad magnum periculum hanc curationem reſeruare, vt non exiſtimes reſeruandam eſſe ad tempus exterminij, cùm iam non conſtant vires; nam tunc miſerabile eſt morbum morbo ſuperuenire, ſiquidem ex Hippocratis edicto, *libro de affectibus* iam pluries citato, *ægro fatigato mors aderit, antequàm prior morbus ſoluatur.*

CAP. IX.

Morbus ex ſolutione continui morbos alios curat.

SI adamuſſim omnem curationem examinare velimus, pauca ſunt remedia, quæ ſimul nequeant morbi, aut ſymptomata appellari. Vomitus, ſymptoma eſt in excretis præter naturam, ſicut & diarrhœa, & dyſenteria, lienteria, & cœliaca. Sanguinis autem miſſio continui ſolutione fit, & ſecum ſymptoma affert, nempe fluxum ſanguinis toto generè à natura alienum. Partes vrimus, & ſecamus, ſpe alicuius vtilitatis. Punctum neruum totum præſcindimus, quoniam ex punctione conuulſio timetur. Ita etiam totam arteriam abſcindimus, nec enim aliter ſanguis ab ea impetuosè fluens compeſcitur. Suppuratum & hydropicum vrimus, aut ſecamus: hydropico magis ſectio, empyematico magis conuenit vſtio. Sectionis vſtioníſve partē ſiniſtram, potiùs quàm dextram exoptat Hippocrates. Locum verò in quo apertio celebranda eſt, inter alios optimè mihi

mihi videtur consideráſſe Amatus Luſitanus, *cent.* 1. *curat.* 61. Fiunt etiam inuſtiones, apertionéſve ferro candente in variis corporis noſtri partibus, ad varios effectûs. Inprimis ad ſanguinem compeſcendum, qui apertis arteriis, aut magnis venis effluxit. Deinde ad corroborandum, vt cùm membrum refrigeratum calefaciendo, aut humidum exſiccando, aut laxum coarctando, corroboramus. Vel ad euacuandum, cùm ex affecta parte materiam educimus, aut ad deriuandum, cùm è propinqua, aut ad reuellendum, cùm ex remota.

Cæterùm, quia frequens noſtrâ hac ætate eſt deriuantium, reuellentiúmve cauteriorum vſus; quæ quoniam per totam vitam aperta relinquuntur, ita vt fontium ſcaturigines imitentur, fonticuli ſolent appellari, libet hoc loco an antiquis fuerint cogniti, & quam vtilitatem afferre poſſint, breuiter explorare. Thomas Fienus *lib.* 1. *de cauteriis*, *c.* 13. huius medici auxilij fatétur nuſquam Hippocratem, & Galenum apertè mentionem feciſſe; nihilominùs non eſſe veriſimile, ait, eos hunc vſum

vſum ignoraſſe: ſiquidem aliis qui non multo pòſt, imò ante illos fuerunt, cognitus fuit. *Dioſcorides*, (inquit ille) *Archigenes, Aſclepiades, Antillus, Rufus, Poſſidonius, eum non ignorârunt, qui Galeno tamen fuerunt antiquiores, & quorum ipſe ſcripta legit, ac excerpſit.* Hæc tamen Fieni verba peruicaciam ſapere videntur, nam ſi Galenus antiquorum ſcripta excerpſit, vt reuerà excerpſiſſe oſtendunt innumera remedia, quæ ipſe in *libris de compoſ. medic. ſecund. loc* & alibi paſſim, ex aliorum deſcriptionibus tranſtulit, cur nunquam iſtius auxilij manifeſtam fecit mentionem?

Dicunt nonnulli, ex *libro de theriaca ad Piſonem*, *c.* 16. poſſe colligi, fonticulos non fuiſſe Galeno ignotos: qui quàm procul ab ſcopo aberrent, addiſcent, quicunque verba ibi ſcripta legerint: docet enim quomodo rationalis Medicus ſe in curandis venenoſis morſibus gerere debeat. *Curabit*, inquit, *vulnus illud non ſimpliciter, ſicut methodici ſolent, ſed illud illicò faciet, carnem circumquaque auferens, & ad rotunditatem redigens, ne facilè cicatricem*

tricem obducat, sed apertum longo tempore perseueret, saltem quadraginta diebus, quò rabidi canis venenum egredi queat. Addunt etiam alterum eiusdem Galeni locum, qui non magis quàm prior illis fauet, *lib. 5. de comp. med. secund. loc. c. 9. Si batrachij siue ranunculi folia ei qui dentem dolet, in eiusdem partis brachium imposueris, dolore quidem liberabitur, brachium autem exulcerabitur, cuius curam, proüt conuenit, facies.* Sic Galenus, qui in vlcere à cane rabido, vulnus ampliat, & vsque ad quadragesimum duntaxat diem apertum relinquit: In vlcere autem facto à batrachio, ad liberandum eum, cui dens dolet, statim ad vlceris curationem festinat. Quid hæc commune habent cum fonticulis, qui per totam vitam aperti conseruari iubentur? Sed quorsum leues coniecturas in Galeni scriptis quærimus, quando ille vastissimus Medicinæ Oceanus, quæcunque nouit amplissimè declarauit.

Ad Hippocratem accedo, quem putat Fienus fonticulos cognouisse, quia suppuratos, hydropicósque vrere aut secare iubet, & diu vlcus apertum permanere;

manere ; nec confiderat apertionem istam , esse in parte affecta , & durare per aliquot dies,& sic à fonticulorum conditionibus distare.

Auicenna *lib.* 3. *fen.* 16. *tr.* 1. *cap.*7. pro tumore splenis cauteria multa inurit. Sed vbinam? nempe in splenis regione. At longè alia est fonticulorum ratio , nam & coxendicos dolores profundioribus vstionibus in ipsa coxa factos memorat Hippocrates, & doloribus subuenit vicinarum partiũ vstione. Hoc nemo sanæ mentis negabit, & vlcera facta diu aperta relinquenda esse,optimâ cum ratione admonemur, vt materia omnis exitum habeat. Cæterùm hodiernis Medicis familiares fonticuli alias subeunt leges : quippe cùm Hippocrates *ad Demetr.* grauissimorum malorum caput causam esse dixerit , isti omnium malorum intelligunt,atque ita Fernelij paradoxon, arthritidem à capite semper ortum ducere affirmantis , adeò receptum apud hodiernos manet , vt contraria opinio paradoxica euaserit. Propterea in omni catarrho, in omni capitis affectu, siue sit cephalæa,siue hemicrania, siue epilepsia,

epilepsia, siue vertigo, alterum ex brachiis inurunt; si verò per consensum fieri suspicentur, ad crura accedunt, aut vbi etiam mulieres menstruorum paucitate, ablationéve laborant. Itaque nullus est morbus ex chronicis, cuius curationi vltimam manum per istos fonticulos non imponant. Quæram libenter, ista, siue deriuationem, siue reuulsionem appellent parum interest, per quas vias fiat: non per manifestas, hoc est, per vasa: nam cùm fonticulos aperiunt, vasa effugiunt, & meritò, ne sanguinis fluxio sequatur. Ergo per occultos meatus, per quos, si fieri debet, rectitudo seruanda est, quam ab aliquibus contemni video; semper enim sinistrum brachium potiùs quàm dextrum exulcerant: nescio an Hippocratis consilio, qui dixit optandum in sinistris. Sed ille de apertione inter costas fuit loquutus, non de brachiis, aut cruribus.

Cæterùm vlcusculum in brachio, aut crure, vndenam habet tantam facultatem trahendi ad se per occultos meatus humorem à parte affecta? Quis caput admonuit, vt ad illam partem

materiam mitteret? Respondebúntne id fieri propter dolorem? at dolor exiguus est & momentaneus; illi verò vtilitatem ex fonticulo nonnisi post vnum, aut duos menses euenturam sperant. Quòd si dolor aliquid præstat, multo meliùs præstabunt ligaturæ, & cucurbitulæ, quæ maiorem & diutius perseuerantem dolorem inferunt.

Quod attinet ad qualitatem humoris per vlcus exeuntis, nihil aliud est quàm pus. Iam ergo non euacuabitur bilis, nec flaua, nec atra, vtraque enim non suppuratur; immò nec pituita, cuius motus piger est, & in pus non abibit, nisi priùs in sanguinem conuertatur. Si quantitatem consideres, respice ad alia vlcera, quæ non manu Chirurgi, sed à causa morbifica sunt facta: vtraque enim vno & eodem se gerunt modo. Vndenam in vlceribus pus? nempe ex sanguine, qui ad particulam nutriendam concurrit; quam quoniam & intemperie, & continui solutione laborantem reperit, nutrire nequit: quare necesse est, vt sanguinis illa portio in pus vertatur. Dabis igitur mihi, in fonticulo, si non totum id quod

egreditur,

egreditur, at saltem partem aliquam factam esse ex nutrimento particulæ vlceratæ; cùm ergo parum sit, quod ex vlcere promanat, paucissimum deriuationi attribuetur. Atque ita in 24. horarum spatio vix guttulam vnam pro hac necessitate habebimus. Miror sanè, cùm natura amplissimos fabricauerit canales, per quos copiosissimè materia è cerebro educitur, nares scilicet, & palatum, per quos certum est materiam, quæ in cerebro redundat, transmitti, Medicos errhina, & apophlegmatismata, ab artis nostræ proceribus celebrata contemnere, ac (vt ita dicam) fontibus relictis, riuulos consectari. Appellent illi sua vlcera fonticulos, fontes ego hos naturæ ductûs appellabo.

Nec verò me quispiam à fonticulis omnino abhorrere existimet, frequentiam duntaxat damno, & indistinctum eorum vsum. Fonticulos aliquando cum maxima patientis vtilitate me aperuisse testor, atque profiteor. Adeò verò istius remedij vsus apud vulgus increbruit, vt putent multi, eos qui fonticulos habent, posse liberaliùs ci-

bo, potuíque indulgere, vt pote promptæ euacuationis iugem occasionem habentes. Cùm tamen certus sit spirituum impetum facientium, per illa foramina exitus: sunt enim spiritus adeò ad egressum è corpore faciles, vt si exercitio, aut æstiuo calore corpore excalfacto, occulti meatus reserentur, egressui spirituum viâ reclusâ homo debilitetur, quidni etiam aperto foramine? At si spiritus exeunt, functiones imbecilliores fieri par est, & coctiones diminutas. Quare vbi fonticuli adsunt, potiùs minuendus, quàm augendus est victus. Porrò hæc mea dicta vnusquisque sanâ mente accipiat: nihil enim magis alienum à meo animo est, quàm in medicina facienda sectis inhærere: quapropter nec is sum, qui fonticulos in omni morbo, immò in omni præseruatione recipiam, neque rursus, qui eos prorsus à Medicina relegandos putem. Nam respiciens ad qualitatem, vbi vaporosa est materia, aut si pituitosa saltem labi facilis: ad quantitatem, vbi graue est malum, & vndique conquisita remedia postulat: ad loca per quæ ducitur, vbi ea quæ natura fabricauit,

causit, non satis patent, aut vbi fluxus per neruosum, musculosúmque genus peragitur; vbi hæ concurrunt circumstantiæ, tunc præter reliqua auxilia, ne hoc quidem relinquendum, quod Aëtius insinuâsse videtur, *tetrab.* 3.*serm.*4. *c.*3. postquàm enim locum, instrumenta, & reliqua peragendæ vstioni accommodata in ischiadicis pertractauit, pro coronide, quasi remedium istud contemnens, adiungit. *Apposuimus autem de vstione, ne videlicet eius vsus ignoraretur.*

Cap. X.

Cur plurima septica remedia, quæ extrà cuti imposita vlcus efficiunt, intus sumpta non exulcerant.

APeriendis fonticulis, aut parti quomodocunque inurendæ, si candens ferrum æger perhorrescat, iis remediis vti poteris, quæ crustam possunt inducere: ea septica, hoc est, putrefacientia, dicuntur, seu caustica, hoc est, deurentia, quia non dissimi-

lem

lem ab igne effectum producunt. Contigit mihi cuidam bubone laboranti remedium septicum apposuisse, quoniam malum occultari desiderabat, verùm amici cubiculum intrantes, carnes assas odore se percipere dicebant. Hoc tamen vnum animaduertito, ad corroborationem partis ignem esse aptiorem; cùm verò fluxum materiæ desideramus, tunc vt pars imbecillior fiat, aptiora esse septica. Deinde in occipitio, aut quauis aliâ parte, quam vltra citráque consistere sine periculo non possumus, septica ista non conueniunt: quippe in eorum applicatione incertitudo est, non sicut in ferro candente, quod Chirurgi manu applicatur, nec vltra quàm par est, progreditur.

Dum verò remedia ista septica considerabis, statim se tibi offeret pulchra difficultas, videlicet cur multa quæ foris imposita exulcerant, intus tutò assumantur? vt sinapi, muria, allia, cepæ. Gal. 3. *de temper.* quatuor affert causas. Prima, *quia tum in ventre concocta, tum in venis in sanguinem versa mutantur, alterantúrque.* Secunda, *quia vno loco non permanent, sed in multas partes diuisa,*

uiſa, quoquoverſus feruntur. Tertia, *quòd nō ſolùm multis ſuccis miſcentur, ſed etiam cibis, cum quibus aſſumuntur.* Quarta, *quòd celeriter eorum, & coctio, & partium ſeparatio perficitur, ita vt quod conueniens in iis eſt, aſſimiletur; quod ſupernacuum, & acre, per aluum, vrinas, ſudorem excernatur.* Hæ autem omnes cauſæ deſunt, ſi eadem cuti imponantur, nam neque concoquuntur in cute, neque mouentur, neque permiſcentur ſuccis, neque acres ipſorum partes ab vtilibus ſecernuntur, ſed inconcocta, & parti diu adhærentia, impermiſta, & à partibus ſuis acribus non ſeparata, quicquid agendum eſt agunt. Cæterùm in his quatuor cauſis multa mihi occurrunt, quæ cenſurâ egere videntur.

Etenim quod attinet ad primam, licèt verum ſit, cocta & in ſanguinem verſa mutari in aliam naturam, nihilominùs duo difficultatem ingerunt. Primum, quia dum coquuntur, antequàm cocta ſint, poterunt vlcerare. Alterum, quoniam etiamſi mutentur, non omnino ſuas qualitates amittunt, vt oſtendunt boues Indiani, qui caſſiâ

nutriuntur, & eorum caro purgandi vim habet. Hoc etiam oſtendit peſtilentia, quæ ex cibis praui ſucci proueniebat tempore Galeni. Et quis dubitat, ob prauum victum congeri in corpore erodentes humores, qui vlcera efficiunt? imò ipſemet ſibi contradicit, qui in *eodem capite* ait: *Quòd autem ſi acrimoniam ſuam ſeruaret, interna quoque omnino exulceraret, ex iis quæ ſponte accidunt vlceribus, intelligas. Gignitur enim non rarò, aliis ex vitioſo cibo, aliis ex quapiam in ipſo corpore corruptela, & putredine, vitioſus ſuccus, quam cacochymiam vocant. His aliquando interiorum aliquid vlceratur, magnâ tamen ex parte cutis (quoniam in hanc excrementa quæ in habitu corporis colliguntur, natura expellit) multis & aſſiduis vlceribus afficitur.* Sic ille. Si igitur ex prauis cibis mordaces ſucci gignuntur, cur ait ille deponi coctione mordacitatem? Præterea oleum vitrioli, quod cuti impoſitum vlcerat, intus aſſumptum non exulcerat, & tamen non concoquitur. nam vitriolum nihil habet alimentoſum. Quoad ſecundam, quòd ſcilicet in vno non permanenti loco, profectò

antequàm

antequàm in varias partes diuiſa ferantur, per plures horas in ventriculo commorantur, vbi mirum eſt quòd non exulcerent. Ad tertiam, quòd miſcentur aliis cibis, & aliis ſuccis, ſcio ruſticos multoties ſolo allio vti in cibum, nec propterea offendi, ſinapi etiam tutò ſumitur. Ad quartam, quòd ſuperuacaneum, & acre per aluum feratur, rationem reddere debuerat, cur guttula bilioſi humoris ad inteſtina delapſa exulceret; horum autem alimentorum partes acres per ſe ſeparatæ, ac proinde validiores nõ exulcerent. Scitu etiam dignum eſt, cùm partes iſtæ acres per ſudores exeant, cur cutim non exulcerent, cùm tamen mordaces humores per exercitia ad cutem tranſmiſſi, & in vapores conuerſi vlcerent, vnde Hippocr. *6. epid. Si impurgatus laborau eris, vlcera erumpent.*

Mirum ſanè videri debet id, quod problematis auget difficultatem, nempe aliqua corrodentia intus ſumpta lapidem comminuere, carnes intactas relinquere, vti fructus ex Braſilica regione adueniens, eſu ſuauiſſimus, cuius aqua ſtillatitia calculos in renibus

frangit, reliquis autem membris nullam imprimit noxam, fulminis in morem quod gladium comminuit, illæsâ permanente vaginâ, & pecunias colliquat, nec crumenam videtur tetigiſſe.

Hæc, & alia huiuſmodi mihi perſuadent, Archeum noſtrum, ſeu Chymicum naturalem, interiùs vaſa quodammodo vitriata eſſe voluiſſe, vt ſic munita meliùs rebus vim inferentibus reſiſterent. Deinde etiam cuilibet particulæ facultates miniſtrantes eâ lege tribuiſſe, vt à nemine doctæ, velut ſi doctorem habuiſſent, conſonantiam inter ſe ſeruarent, neque traheret attractrix, id quod ad expultricem pertinet, nec expultrix expelleret id quod ſpectat ad attractricem. Has ob cauſas, nempe tum ob lubricitatem partium, tum ob facultatum vigilantiam efficitur vt nihil nocuum viſceribus adhæreat; ſine adhæſu autem validiſſimo, nihil poteſt exulcerare. Et quoniã hanc vim cum vi fulminum comparauimus, ſcito rationem, cur fulmen rariora exteriùs poſita relinquat, duriora intus abſcondita inuadat, eſſe mobilitatem,

motúſque

motúsque celeritatem, ad quam Lucretius respexit *lib.*6. inquiens.

Mobilitas autem fit fulminis, & grauis ictus,
Et celeri fermè pergunt sic fulmina lapsu.

Nec ab hac sententia aberrat Aristoteles, quia 3.*meteor. c.*1. ait: *si autem in ipsa nube multus, & tenuis extrudatur spiritus, sic fit fulmen, siquidem valde tenue fuerit, non adurens propter tenuitatem, quod Poëta clarum vocant; si autem minùs adurens, fumidum vocant. Illud enim propter tenuitatem fertur, propter velocitatem autem praeuenit pertransire, antequàm igniat, & moram faciens denigret.*

Quòd si pus, & acres humores exulcerant, id fit, quia viscositatem aliquam possident, quâ caustica haec siue alimenta, siue medicamenta carent. Quòd si dicas, bilem non habere lentorem, & tamen vlcerare: respondebo, bilem non vlcerare per se, cùm quotidie ad intestina feratur, nec exulceret; exulcerat verò mucositatibus admixta. Itaque hinc addisces, ea quae lapidem corrodunt, non corrodere

carnes, quia ſcilicet in lapide nulla eſt facultas expultrix, quæ adhæſioni reſiſtat, ſed medicamentum in ſe recipit, à quo deſtruitur. Oleum vitrioli labitur hac illac,& dum à natura tanquam quid maleficum expellitur, defert ſecum etiam ſpiritus maleficos in corpore præexiſtentes; quos ſympathico amore ad ſe trahit, & hac ratione malignis febribus confert.Si verò quæras,cur poteſt natura expellere oleum iſtud,non poteſt ſine eo expellere ſpiritus præexiſtentes?Scito oleum prorſus eſſe à natura noſtra alienum, ac proinde totis viribus, nullâ factâ morâ,ab ea pro viribus expelli. Spiritûs verò in corpore geniti, ex ſanguine licèt corrupto,licèt naturæ inimico,non ita violenter expelluntur?quippe natura,quoad poteſt,nititur ſanguinem putredine infectum, cum quo adhuc affinitatem aliquam habet emendare: quod ſi non poteſt,tunc propellit, aut ſi inferior manet, vita cadit.

FINIS.

LICENTIA.

Admod. Reu. D. Nicolaus Cinius, Can. Florentinus, videat an aliquid per hos libros contineatur, quod ſit contra fidem, aut bonos mores, & referat. Die 8. Maij 1627.

ALEX. *Archiep. Florent.*

Ego Nicolaus Cinius Canonicus Florent. perlegi hoc opuſculum Excellentiſſimi Stephani Roderici Caſtrenſis Luſitani, in quo nihil inueni, quod fidei Chriſtianæ boniſque moribus aduerſetur, in cuius fidem hæc ſcripſi, die 13. Maij 1627.

FLOR. NICOL. CINIVS.
Canonicus Flor. m. p.

Imprimatur Florentiæ, ſi placeat Reu. P. Inquiſitori. Die 14. Maij. 1617.

ALEX. *Archiep. Florentinus.*

Imprimatur die 18. Maij 1627.

P. CLEM. ÆGIDIVS,
Inquiſitor General. Florentiæ.

CONSEN

CONSENSVS.

LIBRVM hunc inscriptum STEPHANI RODERICI *Castrensis*, &c. *Quæ ex Quibus*, Typis mandari, & in lucem edi sumptibus IOAN. CAFFIN, Bibliopolæ Lugdunensis, Ego Regis Consiliarius, & Procurator in Lugdunensi Præfectura non impedio. Lugduni die 24. Septembris 1644.

LORIN.

PERMISSIO.

VISO Procuratoris Regis consensu, suprà dictum Librum à IOANNE CAFFIN Typis mandari permissimus, ac simul ne quis citra factam ei potestatem denuò excudat, interdicimus. Lugd. die 24. Septembris 1644.

SEVE.